

www.e-rara.ch

Francisci Petrarcae V.C. De vita solitaria liber primus

Petrarca, Francesco

[Genève], 1600

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-1377>

Francisci petrarchae v. c. de vita solitaria, liber I.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

FRANCISCI PE-
TRARCHÆ V. C.
De Vita solitaria,

LIBER I.

*Ad Virum summae Reuerentia dignum Phi-
lippum Patram eo tempore Cavallicensem
Episcopum mox Patriarcham Hierosoly-
mitanum, deinde S. R. E. TIT. S. Sabine
Cardinalem atque Legatum, literis orna-
tum ac literatorum patronum.*

SECTIO I.

*Quid necessarium sit illis, qui quietem habere
cupiunt.* CAP. I.



Redo ego generosum
animum, præter Deum
vbi finis est noster, præ-
ter seipsum, & arcanas
curas suas, aut præter a-
liquem multa similitu-
dine sibi coniunctum animum, nusquam
acquiescere: & si enim voluptas tenacissi-
mo visco illita, & blâdis ac dulcibus ple-
b. j.

na sit laqueis, fortes tamen circa terram
 alas detinere diutius non potest. atque si-
 ue Deum, siue nos ipsos & honesta studia,
 quibus utriusque consequimur. siue con-
 formem nobis quaerimus animum, à tur-
 bis hominū ubiūmque turbinibus quā-
 longissimè recedendum est, id sic esse ut
 dico, illi ipsi etiam fortè non negent, qui
 concursu populi mulcètur, ac murmure,
 si modo ita obruti depressisque filis opi-
 nionibus non sunt, quin interdum ad sei-
 ipsos redeant, seque ad excellentiam veri
 semitam, vel reptando conuertant. quod v-
 tinam non tam multis accideret, & ut a-
 gri multarūque rerum vilium, sic saltē
 excolendi animi mortalibus cura foret:
 ut enim pinguis ager sentibus, sic huma-
 nus animus abundat erroribus, quibus nisi
 diligenter euulsi erunt, nisi uterque iugi
 studio ac labore purgabitur, utriusque si-
 militer in ipso flore fructus extinguitur.
 sed nos canimus surdis. De his ergo alij ut
 libet, quanquam facile consensuros verò
 eruditorum animos atque ora confidam,
 quod si omnes negent, tu mihi saltem nō
 negabis (nempe qui negantem primus ar-
 gueres) sic eueniet, ut & tu in verbis meis
 sententiam agnoscas, & ego supremam
 metam cuiuslibet eloquentis attigisse vi-
 dear,

dear, auditoris animum mouisse quo volui, idque nullo negotio. tunc enim suadenti magnus est labor, quando in suam sententiam trahere nititur animum reluctantem: contra quid difficile habet oratio in illius aures ventura, qui quod audit secum conferens, non exempli imaginem, non auctoritatis pondus, non rationis aculeum, vt credat, nihil denique nisi sui ipsius testimonium quærit, & tacitus dicit ita est.

De quibusdam qui de vitæ solitiariæ laudibus scripserunt, & quem auctor in hoc opere velit imitari. CAP. II.

SCIO quidem sanctos quosdam viros, multa hinc scripsisse, nominatum verò magnus ille Basilius, librum paruum de Solitiariæ vitæ laudibus inscripsit, de quo præter titulum nihil teneo. & quod illum in quibusdam vetustissimis codicibus, sic interdum Petri Damiani opusculis insertum vidi, vt dubium me fecerit, an Basilij esset an Petri: in hoc autem tractatu, magna ex parte solius experientiæ ducatum habui, nec alium ducem quærens, nec oblatum admissurus: liberiore quidem gressu, quanquam fortassis incautius, sequor

animum meum quam aliena vestigia. plura ergo audies ab his qui vel plura sunt experti, vel ab expertis acceperunt, a me nunc audies quòd occurrit ex tempore, neque enim magno studio incubui, neque id necesse ratus sum, aut aliàs haud defuturam veritus materiam, de re vberima scribenti: quòd ad superficiem saltè eius attinet, sæpè mihi hæctenus agitata, multimodè familiaritèrque notissima. Non excussi libros igitur, neque magno opere stilum compsi, sciens me illum alloqui, cui vel implexus placeo, sed sententiis veris atque communibus, & sermone domestico contentus, partim è medio vitæ huius, partim ex alterius recenti memoria, quæ legis elicui. quorum te ante alios testem voco, non dissimulans inter multa, quibus valde me volentem cogis vt te diligam, illud esse non vltimū quòd amore solitudinis, & huic coniuncto libertatis studio, vicinam tibi nunc & propè contiguam Romanam quam vocant curiam fugis, vbi non mediocrem fortè hodie sortireris gradum, si quantum solitudo tibi semper angelica, tantum tumultus ille tartareus placuisset.

*De modo tractandi materiam huius operis, ac
distantia inter vitam solitariam, & vitam
in frequentia hominum occupatam.*

CAP. III.

Vissus autem sum mihi facillimè fœlicitatem solitudinis ostensurus, si simul frequentia dolores miseriasque monstrauero, percurrēs actus hominum, quos vel hæc vita pacificos atque tranquillos, vel illa turbidos atque sollicitos & anhelantes habet: vnum enim est his omnibus fundamentum, hanc vitam læto ocio, illā tristi negotio incumbere: quod si quando fortè conuulsus casus aliquis, aut naturæ fortunæque vis ostenderit, quamuis id perrarum, & velut inter portenta numerandum sit, tamen si accidat mutare sententiam, non pudebit & iucundam ociosamque frequentiam, solitudini mœstæ ac sollicitæ præferre nō metuum. neque enim solitudinis solum nomen, sed quæ in solitudine bona sunt laudo. Nec me tã vacui recessus & silentiū delectant, quàm quæ in his habitant ocium & libertas: neque adeò inhumanus sum, vt homines oderim, quos edicto cœlesti diligere iubeor vt me ipsum, sed peccata hominum & in primis mea atque in populis habitantes curas & sollicitudines mœstas odi.

de quibus omnibus (ni fallor) significan-
tius agetur, si non quicquid ad hanc aut ad
illam partem dici posse videbitur scor-
sum explicuero, sed vtrunque miscuero,
nunc hoc, nunc illud attingens, vt vicissim
huc illuc hectoratur animus, & alterno velut
oculorum flexu, ad læuam dextramque
respicens, facile iudicet quid inter res di-
uersissimas iuxta se positas intersit. Con-
sultò autem amariora præmissi, quo dul-
ciora subnecterem, & suauior gustus ex-
tremus vbinam definendum esset, ipsum
animum admoneret.

S E C T I O II.

*De miseria occupati, ac felicitate solitarii, in
somnia & surrectione eorum.*

CAP. I.

Sed quid opus est multis? Agamus ip-
sam rem, & quòd promittimus per sol-
uamus duos homines cõtrariis moribus,
quos tibi describam, ante tuæ mentis ocu-
los pone, & quid in illis vides: in cunctis
existima. OCCVPATVS. Surgit oc-
cupatus infœlix habitator vrbium nocte
media, somno vel suis curis vel clientium
vocibus interrupto, sæpè etiam lucis me-
tu, sæpè nocturnis visis exterritus, mox
infœlici scamno corpus applicat, animū
men-

mendaciis, in illis est totus, seu ille mercibus pretium facere, seu socium, seu pupilum fallere, seu vicini coniugem pudicitia armatam expugnare blanditiis, seu litigio iustitiæ velum fando prætendete, seu denique publici priuatique aliquid corrumpere meditatur, nunc ira præceps, nunc ardens desiderio, nunc desperatione gelatus, ita pessimus artifex, ante lucem diurni telam negotij orditur, qua sese atque alios inuoluat. SOLITARIUS. Surgit solitarius atque ociosus, fœ ix, modica quiete recreatus, somnôque breui, non fracto sed expleto, & interdum pernoctantis Philomenæ cantibus experrectus, thorôque vix dum leniter excussus, pulsisque corporibus quietis horis psallere incipiens, ianitorem labiorum suorum, vt egressuris inde matutinis laudibus aperiat deuotus exposcit, & cordis sui dominum in adiutorium suum vocat, nihilque iam viribus suis fidens & imminentium conscius, metuensque discriminum, vt festinet obsecrat, nullis texendis fraudibus intentus, sed Dei gloriam & sanctorum laudes non indies tantum, sed in horas, & indefesso lingue famulatu, & pio mentis obsequio repetens, nequando forsitan ingrato animo diuinorum munerû

memoria euanescat, & sæpè interea (mirũ dictu) securi timoris ac trepidæ spei plenus, memorque præteriti, ac futuri prouidens, lato dolore & fœlicibus lachrymis abundat. quem statum nulla voluptas occupatorum, nullæ vnquam vrbanae delitiæ, nulli regnorum fastus equauerint. inde suspiciens cœlum ac stellas, & illic habitantem dominum deum suum tota mēte suspirans, & patriam cogitans, de exilij sui loco, protinus ad honestæ cuiuspian iucundæque lectiōis studium conuertitur, atque ita cibus pastus amœnissimis, multa cum pace animi venturæ lucis initium præstolatur.

De m sero occupato, & fœlice solitario cum diei iam lux aduenit.

CAP. II.

OCC. Diuersis votis expectata lux adest, ille vel hostibus vel amicis limen obsessum habet, salutatur, poscitur, attrahitur, traditur, arguitur, laceratur. SOLIT. Huic vacuum limen, & libertas in limine manendi scilicet eundique quocunque fert animus. O. Vadit ille mœtus in forum plenus querelarum, pleniusque negotiorum, & immitis diei primordium alitibus auspicatur. S. Vadit iste ala-

alacer in vicinam syluam, plenus ocij, plenusque silentij, & cum gaudio faustum limen serenæ lucis ingrediar. O. Ille ut ad potentum superba palatia, siue ad formidata iudicum subsellia ventum est, veris falsa permiscens, aut iustitiam premit infontis, aut nocentis rei pascit audaciã, aut prorsus aliquid vel in proprium dedecus, vel in alienam perniciem molitur, mordente animum conscientia, sæpè metu etiam verba rumpète, & sæpè vera promendaciis, verba pro verbis referens, plenusque ruboris ac palloris, seque vicissim increpitans, quod non potiùs deserti famem, quàm deserti famam concupierit, & arator quàm orator esse maluerit. Raptim infecto negotio domum redit, & turpibus latebris, non magis hostium quàm clientum suorum se furatur aspectibus. S. Iste vbi primum florem sedile, salubremque nactus collem constitit. iubare iamque solis exorto, in diurnas Dei laudes, pio lætus ore prorumpens, cõq; suauius si deuotis fortè suspiriis lene murmur, proni gurgitis aut dulces auis concinant querelæ, innocentiam imprimis, linguæ frenum litis nescium, visus tegmè vanitatibus obiectum, puritatem cordis, recordiæ absentiam, & domitricem car-

nis abstinentiam deprecatur. nec multo post, tertiis in laudibus, tertiam in trinitate personam veneratur, & sancti spiritus postulat aduentum, linguam quoque & mentem confessione personantem salutifera, & charitatem coelico igne flammantem ac proximos accensuram. quæ si deuotè postulat, iam habet multum hoc mentis ardore, quàm quolibet auri seu gemmarum splendore fœlicior: inde autem pedetentim sua relegans vestigia, scandente iam in altum, & qui mane nouum illustrauerat, meridiem accedente solis radio, nil potius quàm extingui flammam litium, quas certat in flatu & fomentis alter suscitatur, & quo ille cupidè peruritur. hic omnem malarum cupidinum calorem noxium auferri flagitat. denique quod vnum Poëta Satyricus sine periculo postulat docet. In corpore sano mentem sanam orat. quis horum oro, hætenus horas suas expendit honestius.

*De miseria occupati, ac felicitate solitarii
cum prandii tempus instat.*

CAP. III.

OCC. Venit prandij tempus, ille sub
ingenti & ruinam minitantem aula
componitur, puluinaribus obrutus sepul-

pultúsque, reboant variis recta clamori-
 bus, cunctant canes aulici murésque do-
 mistici, certatim adulatorum circumfusa
 acies obsequitur, & corrosoram turba fa-
 miliarium, confuso strepitu mensam in-
 fruit: verritur putre solum, & fœdo pul-
 vere cuncta completur: volat atris argen-
 tum auro infectum, & pocula canis gem-
 mis expressa, scamnum serico vestitur, o-
 stro paries, terra tapetibus, dum seruorū
 nuda interim cohors tremit. instructa a-
 cie datur tandem lituo signum pugne. Co-
 quinæ duces aulæ ducibus concurrūt, in-
 gens fragor exoritur, conuehantur terra
 marique conquistæ epulæ, & viua priscis
 e leata Coss. ardent rutilo in auro nost. æ
 Graiæque vindemiæ, vno in scypho Gno-
 sos. & Merone Vestuius Phalernúsque mi-
 scentur, Surrentinique colles & Calabria:
 nec satis est, nisi Bacchus Ausonius vel
 Hybleo melle vel eorū succo medicatus
 arundinis, baccisque nigrantibus odora-
 tus, naturā arte mutauerit. Parte alia par
 diuersi generis pompa conspicitur, feræ
 horribiles, pisces incogniti, volucres inau-
 ditæ, pulvere precioso oblitæ, & oblitæ ve-
 teris patriæ quædam, voce testantes origi-
 nem noménque iam solum de phaside re-
 tinentes. fumant ipsis edentibus stupenda

fercula, & omne coquorū passa ludibriū,
 quæ si quis valde licet esuriens cernat, quā
 foedè quantòque sint coagulata lenoci-
 nio, solo spectaculo satur abscedat. Ita mi-
 xta videbit inuicēque certantia nostra
 exteris, marinā terrestribus, nigra candi-
 dis, acria dulcibus, hirsuta pennatis, man-
 sueta ferocibus, & quasi Ouidianū Chaos
 illud antiquum renouatum, atque in an-
 gustias sit coactū, non solum corpore
 in vno, sed in vna paropside:

*Frigida pugnabunt calidis humentia siccis,
 Mollia cum duris, sine pondere habentia
 pondus.*

Sub hac tanta colluie diuersarum simul
 & aduersarum rerum, sub tot croceis at-
 que atris liuentibusque pulmentis, suspen-
 ctum non immeritò venenum sedulus
 prægustator explorat, quin & aduersus
 cæcas insidias, aliud remedij genus inuen-
 tum est. Inter vina dapésque liuida serpen-
 tum cornua prominent, aureis insita soler-
 ter arbustulis, & quasi voluptuaria ex arte
 contra mortem miseri mira res ipsa mors
 excubat, ille autem sedet obducta fronte
 grauibus oculis, supercilio vmbroso, ru-
 gosa nare, genisque pallentibus, ægrè vis-
 cosa labra diglutinans, vix caput attollēs,
 fulgorit usque & oloribus attonitus, vbi
 fit

fit nescit, vespertina tumens crapula, & matutini negotij confusus euentu, futurisque in fallaciis intentus, quo se vertat, aut quid agat, sudet, olet, ructat, oscitat, singula morfitans, vniuersa fastidiens. SOLIT. Iste verò vel paucis, vel vno vel nullo famulo contentus, hesterno sobrius vegetusque ieiunio, modesto sub lare mundam mensam, nulla re magis quam sua præsentia exornat, pro tumultu requiem, pro strepitu silentium habet, pro multitudine seipsum, ipse sibi comes, ipse sibi fabulator ac conuiuia est: nec meruli solus esse, dum secum est pro auleis nudus paries, ex agresti cemento, pro solio eburneo, quercus est sibi vel fagus pura vel abies: cælum spectare non aurum, terram amat calcare non purpuram, fidicen gratus & assidenti consurgentique dulcissimus cantus est, benedictio & gratiarum actio. Villicus si res poscat, pincerna, coquus & verna est, quicquid is apposuit, hic æquanimitate & modestia preciosum facit, Cibum omnē peregrinis syluis aut littoribus aduectum, omnem potum, Ligurum atque Picentum collibus expressum dicas. ea frons est, isque animus ventis, sic in Deum inque homines gratus, sic communibus inemptisque lætus dapi-

bus, non tantum, ut Maroneus ille senectus regum opes æquat animo, sed transcendit. Nulli penitus invidet, nullum odit, sorte contentus sua, & fortunæ iniuriis inaccessus, nihil metuit, nihil cupit: scit non spargi venena fictilibus, scit vitæ hominum pauca sufficere, & summas verasque diuitias nil optare, summum imperium nil timere, lætum agit atque tranquillam ævum, placidas noctes, ociosos dies, & secura conuiuia, it liber, sedit intrepidus, nullas struit aut cauet insidias, scit se amari & non sua. scit mortem suam nulli vtilem, nulli damnosam vitam, neque multum interesse arbitratur quamdiu, sed quàm bene viuat, nec vbi, aut quâdo moriatur magni existimat, sed qualiter. In id vnum summo studio intentus, ut benè actam vitæ fabulam, pulchro fine concludat.

*De miseria occupati, ac felicitate solitarii
cum finitum est prandium.*

CAP. IIII.

OCC. Labitur sensim dies & fugiunt horæ, ac iam prandio finis est: turbât illum familiaris exercitus hostesque collaterales, & ruina mensarum & hominum vasorumque collisio, & ebriorum iocis
recta

tecta mugiant, & querimonis famescen-
 tum: habet enim non vltimum hoc ma-
 lum mensa diuitum, iniquissima est, ita-
 que hic fames, hic nausea, temperies nus-
 quam: aule quidem insuavis odor, inamœ-
 nus color, iter incertum, solum omne sal-
 samentis effusis latè olidum cruentum-
 que, idem & vino lubricum & fumo nu-
 bilum, & spumis horridum & aspergine
 tepidum & adipe tabidum & ossibus albi-
 cans & sanguine rutilum, denique, vt ver-
 bo vtar Ambrosij, non coquinam, sed car-
 nificam dicas. & licet vt maioribus pla-
 cet, à parando prandium, quasi paranidū
 dictum sit, quod bellatores ad prælium
 parèt, non parari tamen aliquid, sed fieri
 verèque prælium ibi gestum putes esse,
 non prandium. ita dux saucius ac tremès,
 ita mero percussi omnes nutantèsque ab-
 eunt, mensa pro acie fuerit, pro blando &
 fallaci hoste voluptas, cubilia pro sepul-
 chris, conscientia pro inferno. SOLIT.
 At huic nostro diuersa omnia, angelorū
 aula conuiujs quàm hominum aptior, o-
 dor colorque optimus, index morum te-
 stis que modestiæ, mensa pacifica, luxus ac
 tumultus nescia, gulæ domitrix, expers
 immunditiæ, vbi gaudia habitent, vade
 voluptas fœda exulet, vbi sit regina so-

brietas: cubile castum & quietum, conscientia paradysus. Surgit ille igitur vel ebrius vel indignus, iste tranquillus & sobrius, ille de morbo dubius ac pauēs, iste frugalitatis sibi conscius omniumque quibus humanum corpus subiacet securus. ille vel irascitur vel ludit, hic vtrunque declinans Deo gratias agit. Tota dehinc illi dies inter luxuriam somnumque & curas anxias & dura negotia dilabitur, huic inter laudes Dei & liberalia studia & nouarum inuentionem rerum ac veterum memoriam, & necessariam quietem, & honesta solatia nihil aut modicum perit.

De exercitiis miseri occupati, & felicitatis solitarii cum meridies adest.

CAP. V.

OCC. Iam cœli medium sol tenet, quando ille æstuat, angitur, accelerat, omnia fallaciarum machinamenta congeminat, ne quid ei per segnitiam illa luce depereat, neque ullus torpor mali consilij, sæcundam animam optatis frustratur effectibus, ut latentes doli ante crepusculum erumpant. est enim hoc ferè malis conatibus adiunctum, ut præcipites etiã sint, iniqua mens impatiens est morę. quicquid optauerit differri vel momento temporis

poris ægrè fert. neque soli auaritiæ con-
 tenit illud Satyricū: Diues qui fieri vult,
 & citò vult fieri, habet hoc commune cu-
 piditas, indiuisumque cum sororibus suis
 ira & libidine, quæ patre cõceptūque tar-
 tareo æditæ, confusionem & præcipitium,
 & horrorem & materiam propriæ origi-
 nis nõ dediscunt. hæ sunt enim furiaæ quas
 non immeritò Acherontis ac noctis filias
 Poëtæ dixerunt, quòd ignorantia tene-
 bras poenitentiaæque materiam secum fe-
 rant. & hæ quidẽ inferni, vnde ortas per-
 hibent, nec non & ciuitatum incolæ oc-
 cupatorumque pedisseque stimulis sem-
 per ardentibus cæcum atque transuersum
 animum exagitant, vt quòd pessimū in-
 stituit, primum expleat, ne quid fortè cū-
 ctando resipiscentiaæ sanæ, si mentis obre-
 pat: nulli equidem vitio frenum placet, &
 vt honestati grauitas atque maturitas, sic
 consilijs inhonestis, inconsulta semper
 amica celeritas. SOLIT. Contrà au-
 tem hic noster nil præproperè, sed fu-
 gientis temporis cursum videns, & cu-
 piens illic esse, vbi sine fluxu tempo-
 rum, ac sine metu mortis degitur, iterum
 versus in preces, non vnus tantum lucis,
 sed totius æui, claram vespèram, & nun-
 quam occidentis vitæ gloriam, eamque

non suo merito, sed sacrae CHRISTI
 mortis poscit in præmium, sciens plus
 esse quam quod homini debeat, nisi
 temporalis illa mors peccatum habentis,
 tantæ esset efficaciam, vt de natura mortali-
 bus peccatoque iam mortuis facere posset
 æternos. Nec ita multò post labentem
 cælo diem, seque simul collabentem humi
 cogitans, terramque caliginem illabentem,
 terris præuidens, superni luminis poscit
 auxilium. Et seu ne mens suorum crimi-
 num pressa ponderibus, cælo exulet, cum
 lachrymis precatur, seu fideri puram lucem,
 seu mentis adustæ refrigerium, abster-
 sionem sordide, elisæ sustentaculum, liti-
 giosæ pacem flagitat, matutinòque laudum
 carmini vespertinas preces & laudes, de
 inexhausto pietatis fonte continuat.

*De miseria occupati. ac felicitate solitarij cum
 abeunte sole vesper accedit.*

CAP. VI.

OCC. Cogitur ille iterum abeunte iam
 sole tecto egredi, urbem lustrare,
 cœnum terere, cōcursare obuijs, sudare,
 laborare, anhelare, æstuarè, cumque in
 omnes sese formas fraudum verterit, omnes
 laqueos ingenijque nodos explicuerit,
 serò tandè fessus rediēs, & multum de ar-
 tificio

tificio suo quæstus, bonæ famæ puræque conscientiæ, nihil omnino auri fortè aliquid, plurimum sceleris atque odij domum refert. SOLIT. Iste vel apricum fontem, vel herbosam ripam, vel æquoreum littus adiit, gaudens diem illū sine dedecore transiisse, & lucis ante terminū, aduersus secutura noctis pericula, dolosque & insidias, ac rabiem leonino more rugientis, aduersarij vigilem sobrietatem, atque orationis & fidei clypeum, aduersus somnia pollutionemque & nocturna phantasmata, excubare sibi solitā clementiam sui creatoris implorat, atque in manus eius commendato spiritu, & angelis suis ad habitaculi proprij custodiam inuocatis: sese in domum suam recipit, vt nihil iniusti quæstus, sic nil malæ cupidinis, multum verò decore laudis referens, multūque quotidie in melius mutati animi. ad summam, totis ille diebus viuos spoliat, hic pro defunctis orat, ille matrum ac virginum pudicitiam atētat, hic virginem Matrem officiosissimè veneratur, denique ille martyres facit, hic celebrat, ille sanctos persequitur, hic honorat.

De misero occupato, & felice solitario cum redeunte nocte cœnandum est.

CAP. VII.

OCC. Ecce redit nox, ille redit ad crapulam, pompa ingens, ante retròque longum agmen: viui hominis funus putes, præcedunt funeralia & tibiæ, ne quid desit exequijs, & sumptuosissimum cadauer, perfusum caris odoribus, rursus inter puluinaria sepelitur adhuc tepidū, adhuc spirans, inde grauem cœnam indigesto superaddens prandio, venturæ lœi nauseã parat, & alteri prandio præcludit iter. S. Ilte vel se cœnasse persuadet sibi, vel ita cœnat vt Platonicum illud ipsa reprobet: nullo modo mihi placet, inquit, bis in die saturum fieri.

De miseria occupati: ac felicitate solitarij dum eundum est cubitum.

CAP. VIII.

OCC. Posthec multū dissimili habitu corporis & animi cubitum vadunt, ille plenus curis, plenus epulis, plenus mero, plenus metu, plenus inuidia, deiectus, repulsus, superbia elatus, mœrore contractus, ira tumidus, impar sibi, impos animi, obsessus satellitibus, obseruatus æmulis, pulsatus clamoribus, sollicitatus literis, interpellatus nuncijs, suspensus fama,

arme

tumoribus territus, stupefactus augurijs,
 elusus mendacijs, fessus querimonijs, &
 ne noctu quidē litibus immunis, par vita
 dæmonibus, odiosus præterea vicinis
 grauis, ciuibus vel formidatus vel irrisus
 suis, suspectus omnibus, fidus nulli, diū in
 somnis, purpureo inuoluitur grabato,
 omnésque libidinum species expertus, &
 ad fruendū præsentibus, sollicitato infœ-
 lici corpusculo, ad absentes vago animo
 transmissio, vix tandem victus, somnum
 oculis admittit, sed vigilant curæ, vigilat
 mens anxia, quam vrit ignis, & immorta-
 lis conscientia vermis rodit. Tum diurna
 negotia, deceptos clientes, oppressos pau-
 peres, pulsos finibus agricolas, stupratas
 virgines, circūscriptos pupillos, spoliatas
 viduas, afflictos necatósque innoxios,
 cūnque his omnibus vltrices scelerum
 furias videt, sæpè itaq; dormiēs exclamat,
 sæpè conqueritur, & sæpè metu subitò
 somnus abrumpitur. SOLIT. Iste au-
 tem plenus honesto gaudio, plenus san-
 cta spe, plenus amore pio, non furiali vt
 Nisus, sed vt Petrus Christi, plenus con-
 scientia, integritate, securitate, hominū
 Dei metu, nocituri cibi, & inutilium va-
 cuus curarum, solus, tacitus, tranquillus,
 angelo simillimus, Deo charus, formida-

bilis nemini, cunctis amabilis. Cubiculū somno nō impudicitijs idoneū ingressus, dulcem & imperturbatam excipit quietē, & siquid consopitus videt, plarumque similia vigilantis operibus sunt somnia dormientis, & hac etiam vitæ parte fœlicior, meliores aspicit visiones, neq; solum lætiore animo, sed saniore etiam corpore, membrorūmq; ministerio promptiore vtitur. Constat enim animi virtutes præcipuēq; modestiam, sanitati multum conferre corporeæ, & frequenter, qui plus corpori seruiunt, plus obesse.

SECTIO III.

De tractatorum epilogo, ac transitu ad miseriam illorum, qui alienis negotiis occupantur. CAP. I.

EN Pater vnus occupati, & vnus ociofi hominis, vnū diem ante oculos tuos posui, omnium hominum, dierūque omniū vna ratio est, nisi quòd quotidie illius labor, tantò amarior, tantòq; huius quies est dulcior, quātò validior sic tractu temporis habitus animorum, quautòque per temporales motus acceditur, ad æternitatis statum & viuendo proximior efficitur. Illi quidem sine fine labor, huic requies. nisi fortè fœlicior est illorum conditio,

ditio, qui alienis negotijs occupantur. Alieni nutus arbitrio reguntur, & quid agere illos oporteat, in aliena fronte condiscunt: omnia illis aliena sunt, alienum limen, alienum tectum, alienus somnus, alienus cibus, & quod est maximum, aliena mens, aliena frons, non suo iudicio flēt & rident, sed abiectis propriis alienos induunt affectus, denique alienum tractāt, alienum cogitant, alieno viuunt. De his Poëta nobilissimus loquebatur vbi ait:

Penetrant aulas & limina regum.

Hos alter mordacius atq; liberius notabat in Satyra illa, qua curialem vitam arguit, & amicum notans inquit:

Si te propositi nondum pudet atque eadem mens est,

Vt bona summa putes, aliena viuere quadra.

Equidem inter hos, & perpetuis dominorum ac regum carceribus addictos quid intersit, nescio nisi quod illi ferreis, isti aureis compedibus vincti sunt. Speciosior catena, par seruitus, maior culpa, sponte etenim sua faciunt, ad quod alij vi coguntur: ego vero istos vt sententiam meā breuibus absoluam, occupatorum omnium extremos ac verè miserimos miserorum voco, quibus nec breuissimos saltem præmio malarum artium vti licuit

vixere alieno imperio, suo periculo morituri, & aliis laborando peccauerunt, sibi felices si sine culpa, & sine premio laborassent: nunc crimē duntaxat est propriū, quæ ex crimine venit, fallax licet & fugitiua delectatio aliena est. atqui duræ dicimus conditionis agricolam, qui cum labore serit arborem, cuius fructum nunquam sit visurus: Quis enim, ait Apostolus, plantat vineam & de fructu eius non edit? qui tamen sortem suam consolari potest, eo quòd alteri saltem seculo profuturus sit, itaque non modò dubitans quod agit ad se non pertinere, sed sciens etiam non omitteret, interrogatūque cui ferat, quod est apud Ciceronem, diis sit immortalibus responsurus, seu rectius immortalī Deo: quantò miseriore qui ferunt, vnde ipsi pœnas solas, alij verò pœnales voluptates legant? qui quod iuutiliter agunt, sibi, aliis imputare non possunt, non ætati suæ, cui sæpenumero laborando præceptam sibi libertatem eripiunt, non posteritati cui seruitium parant, non Deo quem offendunt vt hominibus placeant, denique non his ipsis quibus placendo nocuerunt, quibûsque perpetua morte sua breuem peccandi, hoc est, in æternum quoque moriendi licentiam pepererunt,

pererunt, cæci nimium dementésque, ad-
 uersisq̄ue syderibus in lucem, immò in
 tenebras proiecti, qui cum altè alios ex-
 tulerint, ipsi continuò iacuère, ab eisdem
 illis, quod sæpè iam vidimus, forsitan op-
 primendi. Interim cū multa aliis quæfie-
 rint, multa cupidinum instrumenta con-
 flauerint, tantorum semper commodis
 caruère facinorum, hanc vnā ferialis
 industriam gloriam cōsecuti, principum
 auaritas, dominoiūque libidines, con-
 filiorum suorum pauisse successibus. quid
 vis amplius dicam? non equidem minus
 mordax nostrorum mihi, quàm Creten-
 sium videre solet imprecatio. cum enim
 sonus verborum neutra terribilis sit, sub-
 est virus utrique mortiferum, illi hosti-
 bus suis optant, vt mala consuetudine de-
 lectentur, nostri autem vt occupati atque
 solliciti nunquam esse desinant. quo si
 profundius, non verba, sed ipsam rem in-
 spicias, quid tristius dici possit vix inue-
 nio. De his occupatis loquor, quos vide-
 mus, & quorum plena est vita vulgaris,
 alij enim nulli vel tam rari sunt, vt nus-
 quam appareant, vbi sanè veritas quæri-
 tur, ficta phantasmata loqui piget.

Quod quanquam ferè omnis occupatus sit miser: sint tamen aliqui licet paucissimi qui laudabiliter occupentur.

CAP. II.

ITaque vt iam tandem semel expediã, parum àbest, quin meo certè iudicio, omnis occupatus miser, occupatúsque sub alios bis miser, quod & miseriam suam habet, & ipso miserix fructuaret, non quod ignorem fuisse, & forrassis esse occupatissimos quosdam simúlque sanctissimos viros, qui seipso & secum Christo deuias animas adducerent, quod vbi accidit, ingens fateor, & inextimabile bonum est, ac geminata fœlicitas, duplici de qua multa diximus obiecta miserix, quid enim fœlicius, quid aut homine dignius, aut similius Deo est quàm seruare & adiuuare quàm plurimos? quod qui potest & non facit, præclarum mihi quidem humanitatis officium obiecisse, & ob eam rem hominis nomen ac naturam amisisse videbitur. Itaque vt hoc posse datum sit, desiderium proprium, vtilitati publicæ sponte subijcam, desertaque solitudine, vnde mihi soli obsequebatur, vltro repetam, vnde vtilis mundo sim, Ciceronis nostri iudicium sequens: Magis est enim, inquit, secundum naturam pro
omni-

omnibus gentibus, si fieri possit, conseruandis aut iuuandis, maximos labores molestiasque suscipere (imitantes Herculem illum, quem hominum fama, beneficiorum memor, in consilio caelestium collocauit) quam viuere in solitudine, non modò sine vllis molestijs, sed etiam in maximis voluptatibus, abundantem omnibus copijs, vt excellas etiam pulchritudine & viribus, quo circa optimo quisque splendidissimòque ingenio, longè illam vitam huic anteponeat. Hec Cicero, cui sic se rebus habentibus, haud coactus assentior, sed de his omnibus iudicium meum habe, paucissimis quidem instantijs, vniuersale verum dogma non quatitur, multi sunt qui occupationes in commune vtilis, & sanctiones solitudine qualibet profitentur. Scio: sed quot, quæso te vidimus, qui quod profitebantur impleuerint? sunt fortasse aliqui, sunt plurimi, ostende mihi vnum & silebo, nõ inficior doctos quosdam & facundos viros, & qui multa subtiliter aduersus hæc disputent. Cæterum non de ingenio, sed de moribus est quæstio, ambiunt ciuitates declamant in populis multa de vitijs, multa de virtutibus loquuntur, vix temperare mihi potuit, quominus

vnum Satyrici dentis morsum huic loco
 valde, nisi fallor, congruentem interpo-
 nerem: sed cogitans ad quem mihi sermo
 est, stilo potius aliquid, quàm verecundiæ
 subtrahendum credidi. Multa quidem,
 inquires, loquuntur vtiliter auidi, & sæpè
 alijs profunt, credo, sed non statim sanus
 est medicus, qui consilio ægrum iuuat,
 quin eodem sæpè morbo, quo multos li-
 berauerat interiit. Verba studio elaborata
 atque arte composita, pro multorum sa-
 lute non respuo, & quicumque sit opifex,
 vtile opus amplector, verum hæc nobis
 non rhetoricæ schola, sed vitæ est, nec
 inanem linguæ gloriam, sed solidam
 quietem mentis intendimus. neque mihi
 excidit Seneca, cum dixisset, Omnia im-
 pedimenta dimitte, & vaca bonæ menti
 confestim addidisse. Nemo ad illam per-
 uenit occupatus. quàm ego non præstare
 quidem solitudinem, sed conseruare &
 plurimum adiuuare contendo, nam nec il-
 lud eiusdem auctoris oblitus sum: Non
 multum, inquit, ad tranquillitatem locus
 cōfert, vt sit ita sine dubio tamen confert
 aliquid. quod nisi sic esset cur idem di-
 xisset alibi: Non rātum corpori, sed etiam
 moribus salubrem locum eligere debe-
 mus, & idem alibi: Conspectum quoque

& vicinam fori procul fugiam. nam vt loca grauia, etiam firmissimam valitudinem tentant, ita bonæ quoque menti, necdum adhuc perfectæ & cõualefcenti, sunt aliqua parum salubria. vnde ergo hæc morum mentisque salubritas ac discrimẽ, si nihil esset in locis? Est in locis aliquid pace, Senecæ dixerim, est multum, sed non totum fateor illud quidem, vt sibi videtur in animo est, nam sic ait: Animus est, qui sibi commendat omnia. id enim uerò suo more rectè dicitur, vnde autem animo lumen veri æquitatisque iudicij; aliunde proculdubio.

De laude tranquillæ serenitatis animi, quæ largitur insolitudine constitutis & quomodo animus non possit in diuersas res esse intentus. CAP. III.

ITaque quod de locis dixi, de animo repetã, esse in illo aliquid, multũ esse totum minimè, sed in eo tantum, qui opportunitatem locis tribuit, animo rationem. magna enim & diuina quædam res est, animi tranquilla serenitas, & quæ non alterius donum sit, quàm solius Dei, sed quàm sæpius ille largiri soleat, in insolitudine constitutis: quod vtrumque pro breuitate temporis, vel ratione vel contrariorum collatione monstratum est, &

mox exēplis illustribus astruetur. Quòd
 si forè datū sit, vt aliquis veri capax, non
 ad linguam, sed ad corhorū, cuiuspiam,
 quos credulum vulgus stupet, penitus
 aurem cordis admoueat, puto sine contē-
 tione fatebitur, quod conscientiam nudā
 ingenuè confitentem, audierit, fœlicita-
 tem non verbis sonantibus, sed rebus ta-
 citis & veritate intima, non externis plau-
 sibus aut fallacissima hominū opinione
 constare, multa quidem illic audiet, mul-
 tum his contraria, quæ in pulpitis cum
 populo mirabatur, & intelliget, quod in-
 ter cutim & præcordia interfit, & nimirū
 hæc animi nātura est, vt in vnam rem
 vehementer intentus, multas negligat.
 Hinc est vt eloquentiæ studiosi, sæpè sint
 ad actum tardiores, & qui res magnas
 agunt, sunt incultiores eloquio. sic &
 modestiæ cultores, voluptatem fugiunt,
 & quibus voluptas in pretio est, modestiā
 aspernantur, sic & quos augēdæ rei fami-
 liaris studium tenet, sæpè Rempub. atque
 amicitias contemnunt, & illiberabilius
 vitam ducunt. atque liberalitati animum
 applicant, quique Reipub. curam habent,
 sæpè videas rei domesticæ negligentes.
 Non potest vētus idem ex æquo placere,
 his quorum nauigatio contrarios fines
 spectat.

ſpectat. quæ idcirco dixerim ne mireris, ſi in eo quoque, quod nunc agimus idem cernas, & ſi ſollicita vita ſtrepitum amat, multiloquio delectatur. contēplatio autē omnis amica ſilentio eſt, quæq; ſe nibus ſuis tenet, & viceuerſa, illa ſilentium odit, hæc ſtrepuit.

Quomodo ex periculo paſtorum diſci poſſit, vitam ſollicitam minus eſſe tutam, & quodea ratione auctor ipſe vitam elegerit ſolitariam. CAP. IIII.

QUæ nam verò tutior via eſt, hoc eſt pater quod hodierno colloquio veſtigamus: dic igitur mihi ex his ipſis, quorum mētio nobis oborta eſt, quotiēs putas paſtorem officio periſſe, quotiens ouem & dum vagam illigat in laqueum incidiſſe, & dum profugam ſequitur corruſiſſe? quotiens credis aut medicum benè valentem, dum ægros circumit ægritudinem contraxiſſe, aut buſtuarium dum mortuos ſepelit, cauſam mortis contagio reperit? nemo verò fallatur quaſi minora ſint animorum contagia, quàm corporum, maiora ſunt, grauius lædunt, altius descendunt, ſerpuntque latentius. Multis, inquiunt, prodeſſe meritorium, multis ſubueniſſe laudabile, quis negat? ſed ordinatæ charitatis initium ſcimus. crede

autem mihi, non est parvæ fiducia, polliceri opem decertantibus, consiliū dubiis, lumen cæcis, lætitiā mœstis, securitatē metuentibus, spem deiectis, salutē ægris, requiem fessis, refrigerium afflictis, mōstrare iter errantibus, subiectare humeros cadentibus, dare dextram prostratis. magna quidē sunt hæc si fiant, parua si promittantur: neque enim magnæ quàm parvæ rei promissio, sed exhibitio est maior. Verum ego non tam alijs legem pono, quā legem tibi meę mentis expono, quā qui probat teneat, cui non placet abiiciat, & relicta nobis solitudine, sollicitudines suas sibi habeat, contemptorque ruris nostri, viuat contentus in vrbibus. Optarē fateor talis esse qui prodesse possem quàm plurimis, vel vt ait Naso:

Toti que salutifer orbi.

Sed primum paucorū hominū, proximū Christi solius est proprium, & profectò quisquis in tuto est, vt vel tantisper diuersum sentiētibus condescendam, peccat in legem nature, nisi quibus potest laborantibus opem fert. Mihi qui ad huc magno naufragio laboro, sufficit illius opem implorare, qui solus potens est, præstare quod poscitur. cuperem magna, sed modicis

dicis contentabor, vellem cum omnibus saluus esse, si minus, cum multis. vltimo quid expectas vt dicam, mihi non perco satis est, multum est abundè fœliciter. Et heu quam vereor, ne qui forsan ex his, qui se custodes infirmarum ouiu dici volunt, lupi sunt, sanasque dilanient.

SECTIO IIII.

Quod vita solitaria precipue literarum ignaris grauior morte, & mortem allatura videatur. CAP. I.

AT ne diutius me consideratione non mea implicè, de se illi, nos de nobis libret vnusquisq; quid præferat, impossibile est enim, & si vnum omnes finem vltimum intēdamus, vt vnā omnibus vitæ viam expediat sequi. qua in re, cuique acriter cogitandū erit, qualem eum natura, qualem ipse se fecerit. Sunt enim, quibus solitaria vita morte grauior sit, & mortē allatura videatur, quod precipue literarum ignaris euenire solet. quibus si confabulator desit, quid secum, quidue cum libris loqui valeāt non habent, itaque multi sunt, equidem solitudo sine literis exilium est, carcer, aculeus. Adhibe literas, patria est, libertas, delectatio. nã de ocio quidem illud Ciceronis notum.

Quid dulcius ocio literato? contráque,
 non minus illud Senecę vulgatum: Ociũ
 sine literis mors est, & viui hominis
 sepultura. Et si planè norim duo ista tam
 dulcia Philosophorum diuerticula, soli-
 tudinem atque ocium, vt incipiens di-
 xi, interdũ literatis etiã hominibus per-
 molesta, in promptu tamen est ratio. His
 enim hoc accidit qui vel voluptate ali-
 qua compediti, carcerem suum amãt, vel
 vulgi commertia & vulgari negotio vi-
 ſum quærunt, vel ad lubricos honorum
 gradus populorum ventosis suffragijs as-
 pirant, & quibus (quæ ingens his tempo-
 ribus turba est) literæ non animi lux at-
 que oblectatio vitæ sunt, sed instrumenta
 diuitiarum. Ad quas hodie discendas, ma-
 gno rei familiaris impendio, sed multo
 maxima lucri spe pueri à parentibus, non
 quasi ad gymnasium, sed velut ad seruile
 mercimonium destinantur, vt mirari ne-
 mo habeat, eos venaliter & auarè literis
 vti, quas vt venderent quæsierunt, Equi-
 bus improba spe, non sibi cêtesimum fœ-
 nus, sed millesimum statuerunt: quæ om-
 nia diligēter & in vitæ electione tractan-
 da essent, neque enim tales in solitudi-
 nem voco, neque si veniant admitto li-
 bens. Quàm multos igitur excludam, hinc
 vides

vides, nam quid piscis longè ab aquis, quid hi procul ab urbibus acturi? quòd illi olim molli & effœminato causidico sæpè dixi, qui hæc loca non quietis amore, quam non nouerat, non appetitu ocij quod aderat, sed nescio quo nam imitandi studio frequentare cœperat, incertum an sibi ipsi molestior an mihi: verum ille confestim tædio locorum & urbanorum desiderio voluptatum victus abiit. quod nisi sic euenturum animo præuidissem, vtrò ipse celsissem locis, tam nulla rerum opinionumue proportio erat, quam uis amicum ille se diceret, & essemus eisdem studijs à pueritia versati, sed ut res docuit, studiorum finibus longè disparibus. Redeo autem ad inceptum.

Quod quanquam optimum esset, ut in iuuentute quisque sibi aliquid rectæ vitæ genus apprehenderet, tamen si quis iuuenis neglexerit, consultum est ut saltem senex hoc faciat.

CAP. II.

Optimum quidem esset, nisi consilij inopia iugis adolescentiæ comes obstaret, ut ab incunte ætate, circa vnum aliquod vitæ genus apprehendendum, vnusquisque nostrum accuratissimè cogitaret, nec ab illo calle quem semel ele-

d. ij.

gisset, nisi magnis ex causis aut graui necessitate diuerteret. quod initio pubertatis fecisse Herculé auctor Xenophon ille Socraticus testis est & Cicero. sed quia id non facimus, neque enim nostro iudicio plaríque viuimus, sed vulgi, atque adeò per deuia raptamur, & quasi per tenebras alienis vestigijs insistentes, sæpè periculofas & inexplicabiles ingredimur vias, & eo vsq; prouehimur, vt ante simus nescio quid, quam quid esse velimus, circumspicere atque examinare præmissum sit. Idcirco quam sibi personam vel natura vel fortuna vel error aliquis imposuit, si iuuenis non potuit, quisq; secum senex cogitet, & quod solet errans viator, ante vesperam quantum licet salutis suæ consulat, vnum sciens, naturam totam haud facile posse cõuelli. Cui autē in ingressu viæ huius, quando vt dixi, scintilla nostri consilij nulla erat, cœleste aliquod lumen affulsit, vt vel securū vel periculi minoris, & facile remediabile iter arriperet: habet vnde semper Deo gratias agat. At cui finitior fors fuit, plus negotij est postquã tamen aperire oculos cœpit, & quàm dubium iter agat intelligere, omni studio incūbat adolescentiæ deuium, & errores vel in senectute corrigere, memineritque

Terētiani senis in Adelphis, qui mutandę sub extremū vitę cōsultor idoneus, simulet delectabit & proderit. Difficile negotiū imprimis, sed & imprimis vtile & nequaquā impossibile. Neque vero serū putet, quod salubre cognoscit, assunt huius sententię non spernendi auctores, sapientissimus principum, Augustus Cęsar ait: Sat celeriter fieri quicquid fiat satis benę, autem princeps Philosophorum Plato ait, beatum cui etiam in senectute cōtigerit, vt sapientiam verasque opiniones assequi possit.

Que in ordine mutandęque vitę tenenda sit vita.

C A P. III.

IN omni quidem ordine mutandęque vitę consilio, illud imprimis ante oculos habendum, vt non concupiscētia inani, sed natura duce freti, viam teneamus, non quę speciosissima videbitur, sed quę aptissima nobis erit. Vbi maximę rectum ac seuerum suiipsius aestimatorē ac censorem exigo, ne oculorum aut aurium voluptate deceptus aberrēt. quod quibusdā accidisse scio, qui dum mirātur alios, immemores sui atque aliena tentantes, ridendi materiam populo prębuerunt. Hoc vnum sumptum à Philosophis cond.

filium est mihi, secundum quod vel soli-
 tariam vel urbanam vitā, siue aliam quā-
 libet naturæ moribúsq; suis cōparans,
 norit quisque quid suū sit. quod si ingre-
 dientibus vtile, quantò progressis vtilius,
 quibus super eligendi laborē, extirpandæ
 etiam veteris radicatæque sentētiæ labor
 est? Apud me sanè cui nihil quod quidem
 nouerim commune cum populo, & cui
 literularum tantū obuenit, quantum nō
 inflet animum sed delectet, & solitudinis
 amicum faciat, vbi illas sine loquaci do-
 ctore, sed & sine tenaci torpore, atque vti-
 nam sine sequaci liuore didici, quem non
 amica, non coniunx, non vadimonium,
 non vsura, non depositum, non lucellum,
 non rostra, non balneum, non taberna,
 non cœna, nō porticus in vrbe deuinciūt,
 apud me, inquam, cui vt verum fatear, nō
 tam proprio studio, alió ve monitu, vt ita
 sentirē, quam naturæ ipsius persuasione
 consultū est, vita proculdubio singularis
 ac solitaria, non modo tranquillior, sed
 altior est atque securior. Et vt extimare
 alios iubeo suas res, & vt ipsa res meas
 noui, valde solitudinem atque ocium, de
 quibus multò hodie tecum, veluti quasdā
 scelas, ad id quo mens nostra suspirat,
 amplector ac teneo, turbas atque solici-
 tudines

tudines ceu repagula vetésq; permetuo. sed ita, vt si qua me necessitas in urbem cogat, solitudinem in populo, atque in medio tempestatis portum mihi conflare didicerim, artificio non omnibus noto, sensibus imperitandi, vt quod sentiunt non sentiant. Quod cum per me ipsum experientia creditum, in consuetudinem deduxissē, multo post tempore, acutissimi cuiusdam doctissimique viri consilium esse cognoui, memoriaeque mandauit, eō quidem attentius, quo gaudebam factum meū vetustatis auctoritate fulciri. Nēpē Quintilianus in eo libro vbi oratorem à Cicerone armatum bullis ac phaleris, curiosissimè perpoliuit, de hoc loquens. Est, inquit, lucubratio quotiens ad eam integri ac refecti venimus, optimum secreti genus, sed silentium & secessus, & vndique liber animus, vt sunt maximè optanda, ita non semper possunt contingere. ideóque non statim si quid obstrepet abiiciendi codices erunt, & deplorandus dies, verum incommodis repugnandum, & hic faciendus vsus, vt omnia quæ impediunt vincat intentio, quam si tota mente in opus ipsum direxeris, nihil eorum quæ oculis vel auribus incurfant, ad animū prouenient. An verò frequen-

ter etiam fortuita hæc cogitatio præstat,
 vt obuios non videamus, & ita ne deerre-
 mus, non consequemur idem, si & volue-
 rimus, non est indulgendum causis desi-
 diæ, nam si non nisi refecti, non nisi hila-
 res, non nisi omnibus curis vacantes stu-
 dendum æstimauerimus, semper erit pro-
 pter quod nobis ignoscamus, quare in
 turba, itinere, conuiuio, etiam sibi faciat
 cogitatio secretū. hæc Quintilianus, quæ
 libentius inserui, quia secretior locus erat,
 nam Senecæ de hoc ipso vulgatioꝝ episto-
 la est, ideóque nihil apposuit præter finē
 solum: cum enim multa tractasset, quali-
 ter aduersi vulgi strepitum durandus est
 animus studiosi, tãdem ad se versus. Quid
 igitur, inquit, non aliquando commodius
 est carere conuiuio? & respondens sibi.
 Pateor ait, itaque ego ex hoc loco migrã-
 do, quasi quæcunq; dixerat, necessarię mo-
 ræ solitaria, hoc vltimum voluntarię pro-
 fectionis cõsiliū daret. Et profectò sic est.
 Nã & ego vnum hoc in necessitate reme-
 dium inueni, vt in ipsis vrbiũ tumultu-
 bus imaginariam mihi solitudinē, secessū
 aliquo, quantum sinor & cogitatione con-
 ficiam, vincens ingenio fortunam. quo
 remedij genere, sæpè quidem hætenus
 vsus sum. & quoniam futuri semper
 incerta

incerta conditio est, an adhuc vsurus sim nescio. Certè libera si contingat electio, solitudinem veram proprijs in sedibus quæsiturus.

De commendatione solitudinis.

CAP. IIII.

QUod & dum licuit semper feci, & quàm cupidè nūc faciam vides, solitudo æquidem sancta, simplex, incorrupta verèque purissima rerum est omnium humanarum: cui etenim sese ostendet in sylvis, cui si comat inter vepres? quem præter pisces hamo, quem præter feras ac volucres visco fallat aut laqueo? quem cantu, quem gestu mulceat, quem coloribus delectet? cui purpuram explicet, cui oleum vindicet, cui verborum florida ferta contexat? cui demum sese approbet, cui placere studeat, præter illū, cui in intimas solitudines penetranti, solitarium nihil est? neminem illa vult fallere, nihil simulat aut dissimulat, nihil ornat, nihil palliat, nihil fingit. Nuda prorsus aut incōpta est: spectaculis enim caret & plausoribus, veneficis animarum vitæ rerūque omnium, Deum vnicum testem habet, nec vulgò cæco & mendaci, sed consciētiae propriæ de se credit: de

quibusdam quoque parum illi fidens du-
 bitat, recolens scriptum esse: Delicta quis
 intelliget? Et illud etiam: Si simplex fue-
 ro, hoc ipsum ignorabit anima mea. Nec
 tamen illud oblita, quod Suavis domi-
 nus vniuersis, & miserationes eius su-
 per omnia opera eius. quod Alleuat do-
 minus omnes qui corruunt, & erigit om-
 nes elisos. quod Prope est omnibus inuo-
 cantibus eum, quod Non secundum pec-
 cata nostra fecit nobis, neque secundum
 iniquitates nostras retribuet nobis, quo-
 niam secundum altitudinem cœli à terra
 corroborauit misericordiam suam super
 timentes se. quod Quantum distat ortus
 ab occidente, longè fecit iniquitates no-
 stras. denique non iudicialiter, sed pater-
 nè aspiciens, quomodo miseretur pater
 filiorum, misertus est dominus timentibus
 se: quoniam ipse cognouit figmen-
 tum nostrum, & recordatur, quoniam pul-
 uis sumus, & homo sicut fœnum & flos
 agri egreditur & conteritur, & fugit velut
 umbra. Misericordia autem domini ab
 eterno & vsque in æternum, quoniam ipse
 fecit nos, & nihil odit omnium quæ fecit.
 atque ita hinc minantibus scripturis, hinc
 spem dantibus, de se incerta, & nesciens,
 an amore an odio digna sit, trepidat sed
 & spe-

& sperat, ac seipsam de certa & nota re-
 gis sui misericordia consolatur. Sic se sic
 dæmonum vigil insidias inque id solum
 occupata circumspicit & diuino præsidio
 fulta contemnit. Sic vndique fœlix ac
 tranquilla, & vt propriè dicam, arx mu-
 nita, tempestatumque omnium portus
 est. quem qui fugit, quid sibi aliud præ-
 ter, portu careat, voluatur rerum pelago,
 viuat in scopulis, moriatur in fluctibus?
 Nec tamen vsque adedè propositi impro-
 bus sententiæque tenax sum, vt desipere
 alios putem, vel in verba iurare cogam
 mea, ad fatendum multi, ad credendum
 nemo cogitur. nulla maior quam iudicij
 libertas, hanc itaque mihi vendico, vt
 alijs nõ negẽ. sit sanè, potest enim esse, sit
 honesta, sit sancta omniũ intentio, esse au-
 tem occultissimè profundissimèque rei
 humanę conscientię iudex nolim. Er pos-
 sunt omnes Deo largiente benè viuere,
 nullum respuit infinita clementia, sed à
 multis ipsa respuitur, ipsa etiam humanæ
 Philosophiæ institutio gradiaria est, non
 possunt enim summũ locum præhendere,
 alioquin ima omnia vacarent, tantum vt
 viteretur obscœnitas, & quæ in imis esse so-
 lent sordes, id enim omnibus necesse,
 qui quolibet in genere vitam agere pro-

60 FR. PETRARCH. DE
cul ab infamia decreuerunt. Sic obscœna
vitare debitum, in altũ niti virtus est, per-
uenire fœlicitas.

*De quadruplici distinctione virtutum, à Ploti-
tino inducta, & à Macrobio comprobata.*

C A P. V.

NON sum oblitus distinctionem il-
lam quadruplicem virtutum, à Plo-
tino ingenti Platonico inductam, à Ma-
crobio comprobatam, sed in ea ipsa poli-
ticæ virtutes infimum gradum tenent,
quæ occupatorum esse possunt, eorũ-
que non omnium, sed illorum quibus
occupationum finis virtus, propria &
multo maxima reipublicæ salus est. Cer-
nis ad quam paucos vno verbo tota occu-
patorum innumerabilis acies sit redacta?
Proximũ ascendendo gradum possident
purgatoriæ virtutes, haud dubiè linquen-
tium vrbes, atque otiosorum & verè phi-
losophantium ornamenta, & passiones
quidem animi, quas primæ temperant,
hæ conuellant. Tertius gradus, altior
illarum est, quas purgati animi virtutes
vocant, quarum munus est proprium,
passiones, quas politicæ molierint, pur-
gatoriæ conuulserint, obliuisci. hæc per-
fectorum sunt, qui vbi sũt, nescio, sed
& qui

& qui fuerint, solitudinem amarunt. & si quis vsquam superest, quamuis hoc virtutum gubernaculo tutus in alto nauiget, puto tamen solitudinis portum amet. Quartus ac supremus exemplarium est locus, quæ supra hominem sunt, & vt aiunt, in mente solius Dei habitant. vnde quod ipsum nomen indicat, tâquam ab exemplari aliquo æterno, Siue vt Plato vocat, ab ideis, quas in eadem Dei mente, vt cæterarum rerum, sic virtutum posuit, tres alias humanarum virtutum species ortas volunt. in his autem aduersus passionem, non modo non eisdem effectus esse quos in cæteris, sed ipsum passionis nomen audiri nefarium prorsus atque sacrilegum. De istis sanè nil dicturus fueram, nihil enim ad id, quod nunc agitur, nisi enim cum de politicis purgatoriisque virtutibus loqui aliquid tempus admonuisset, Plotini quadrifidam catenam, multa arte confertam, stilo soluere ac dissociare non libuit.

De delectatione ac dulcedine vite solitaria & spiritali pugna solitariorum.

C A P. VI.

VIdesne quanto verborum ambitu, vt cūque cum occupatis in gratiam redire voluerim, tempus est, vt his iam di-

gressionibus modus sit. ad me igitur, & ad
solitudinem reuertor. Cuius ego veram
intimamque dulcedinem, vtinam profun-
dus hausissem, vt fidentius in hoc te, cum
sermone versarer. nunc de re sanctissima,
profanum ingeniū fari pudet. quis enim
fando æquet, quod vix percipit cogitan-
do? celestis & prorsus angelica vita est, de
qua terrenus est, ne dicam terreus homun-
cio loqui vult, splendore nominis captus,
famamque rei optimæ, & vt verè dicam, o-
dore magis quàm sapore delectatus, haud
aliter quàm si natus in syluis pastor, & in
syluis educatus sit in fluuio, herbis, famē
sedare syluestribus, humi cibum sumere
solitus dumosoque requiem sub antro,
casu aliquo ad amplissimæ cuiuspiam at-
que opulentissimæ vrbis muros accesserit,
& dum in vestibulo fessus sedet, oculo-
sque auidè circumflectit, inque urbem
ipsam iniicit custodū domos aut coherēs
portis angiportum viderit. Exinde reuer-
sus in syluas, sociis narret, quid in ea vrbe
conspexerit, quid in atriis, quid in vicis,
quid in curia, quid in foro, quid in officiis
artificum, quid in thalamis procerū, quid
in publicis priuatisque consiliis agatur.
Aut si quia primum fortè religiosissimi
templi limen attigit, idcirco quicquid
ami-

amictum seu vasorum imis penetralibus
 abditum seruatur, cunctas librorum for-
 mas, singula sacerdotum officia, omnes
 sacrorū cęrimonias nosse putat. Re enim
 vera quantū ego ab huiuscemodi pasto-
 re differo, nisi quod is urbē semel adiit,
 aut templum, ego sæpè solitudinem, is
 exterius substitit. ego introij, ille mox
 abiit, ego permansi? Quid tamē ego cer-
 tiūs noui, qualis solitaria vitæ status
 interior sit, antra, colles & nemora, æquē
 omnibus patent. Nemo arcet intrantes,
 nemo pellit ingressos, deserti nullus est
 ianitor, nullus custos. sed quid locorum
 solus introitus, quid ambitu vehunt am-
 nes, quid lustratę iuuāt syluæ, quid in seffi
 profunt mōtes, si quocūque iero, animus
 me meus insequitur, talis in syluis qualis
 erat in urbibus? ille ante omnia deponē-
 dus, ille, inquam, ille domi relinquendus
 erat, suppliciterque poscēdum à domino,
 vt cor in me crearet mundum, & spiritum
 rectum his in visceribus innouaret. Tum
 demum vitę solitariae abdita penetrassē,
 hæc enim, quid alieno glorię? hæc soli-
 citudo vtique, non solitaria vita est, ea
 scilicet quam suspiro, quamuis exterius
 simillima videatur, æquē hominum tur-
 bis educta, sed non æquē passionibus ex-

pedita. O si vidissem quænam dulcedo
 illa ineffabilis sanctarum animarum, quã
 de præteritorum commemoratione dis-
 criminum, & vêturi gaudij expectatione
 percipiunt, sine quibus triũphatus hostis,
 sine quibus sæpè quidem victus, sed vin-
 cendus adhuc, & in acie nunc etiam stan-
 dum est, non sine spe certa victorię, mili-
 tandúmque; nõ solis, sed suffultis Angelico
 comitatu. Et quibus inductis armaturam
 Dei loricámque iustitię, vt verbo vtar
 Apostoli, munitus scuto fidei, gladio spi-
 ritus, & salutis galea, aduersus principes
 & potestates, aduersus mundi rectores
 tenebrarum harum, iterum atque iterum
 nullo quidem spectante mortalium, sed
 cœlicolarum maximò consensu & exi-
 mio omnium favore Christóque Iesu
 spectaculis præsidente pugnandum est.
 Quænam illa suspiriorum quies, de pro-
 fundis ad excelsa tendentium, fatigato
 animo gratissima? quænam suauitas lachry-
 marum, de purissimo cordis fonte caden-
 tium? quænam militum Christi vigilię
 excubięque, Psalmorum in turribus Hie-
 rusalem, & in propugnaulis Sion aduer-
 sus exercitũ Babylonis, tota nocte canen-
 tium vallúmque & castra seruantium, loco
 arduo & munito, vbi nec pabulum desit
 nec

nec aquatio, vbi fidant hostibus insidijs, tentari se posse non obrui, eoque se gratiæ subiectos, vt ferocissimi hostis incurſus ipsis obsequium, supplicium illi fit, vt qui ſaluti iam amplius non obest, sæpè proſit ad gloriam, exercendòque fiat cautior, militia fortior victoria, clarior triūphus, Chriſti pugilū in vitæ huius agone certantium.

Quantum ſit ſolacium, quantæue iucunditas pro breui ſolitudine hominum, perpetuam ſperare frequentiam angelorum.

CAP. VII.

Quod illud ſolacium, quanta iucunditas, gaudere præſentibus, ſperare meliora, pro breui ſolitudine hominum perpetuam frequentiam angelorum & diuini vultus aſpectum? vbi totius ſacræ concupiſcentiæ & deſideriorum omnium eſt finis, pro paucis lachrymis interminabilem riſum, pro temporalibus ieiunijs æterna conuiuia, pro voluntaria paupertate inæſtimabiles veriſſimæque diuitias, pro incolatu ſyluarū ius ciuitatis æthereæ, pro fumoſo iugurio ſtellantia Chriſti palatia, pro agreſti ſilentio cantus angelicos, & cœleſtis dulcedinem harmoniæ, quæque omne melos exceſſerit, illam Dei vocē, tot tranſactis laboribus, ſuos æter-

nam in requiem euocantis, pro his omnibus sponforem veracissimum ac locupletissimū habere. Cogitare quotidie quid est quod reliqui, quid est quod secutus sum, quale est quod patior, quale quod expecto, quantum est quod sœui, quantum est quod metam, extimare quam breui tēporis iactura, immò verò non iactura, sed lucro, & innumerabilium tēdiorum fuga, fœlicitatem negotientur eternā, & dimissis hominū fastidijs, vrbiumque periculis, vbi verè est infernus ille viuētium, cuius meminit Psalmista, ad supernam patriam properātes, iam hinc cœperint, esse fœlices. Siquidem miseræ finis fœlicitatis initium est, natura contrariorum exigente, vt vbi hoc desinit, illud incipiat, postremò & cogitatus altissimos, & collocutores spiritus, & visiones beatificas habere, & sœpè præsentem Christum familiarius compellere. Semper enim præfens est, qui vbique semper est, quis est autem hic, nisi de quo scriptum est: Si ascendero in cœlum tu illic es, & si descendero ad infernum ades. Si sumptero pennas meas diluculo & habitauero in extremis maris. cui si facilè fuit oculos nobis atque aures intellectūque largiri, multò est profectò facilius nos videre, audire & intelligere.

telligere. Videt ille igitur nos, auditque prius etiam quam loquamur, ipse est enim igitur, qui tacito Moyfi ait: Quid clamas ad me? Præuenit vota nostra & affectus anticipat, cogitationes nostras intelligit de longinquo, hoc est multò antequam fiant. preces nostras exaudit antequam sonent, necessitates nostras aspicit antequam veniant, exitus nostros speculatur antequam nati sumus. sed ita nos aspicit, ut indignos licet inueniat, misereatur tamen, nisi fortè quod procul absit à nobis, cõtumacia pertinaci misericordiã repellamus.

Quod habentes verum testem Christum, teste imaginario non egeamus.

CAP. VIII.

Habentes ergo testem Patrem iudicem, teste illo imaginario non egemus, de quo alibi scripsi, quem Philosophorum quidam quærendum nobis esse dixerunt. Epicurus quidem, quibusdam licet opinionibus infamatus, magnorũ tamen iudicio magnus vir, amico scribens. Sic fac, inquit, omnia, tanquàm spectet Epicurus. Marcus Cicero in epistolis, quas ad Q. Cic. F. suum scribit, post adhortationes magnificas ad virtutem, concludens: id, inquit, facillimè facies, si me, cui semper vni magis quã

vniuersis placere voluisti, tecum semper
 esse putabis, & omnibus his rebus quas
 dices, & facies, interesse. multum haud
 dubiè confidebat veram præsentiam, pro-
 futuram esse germano, qui memoriam
 sui solam, efficacem adedò virtutis ad stu-
 dium, extimaret. Secutus hos Seneca, sed
 non ausus sibi tribuere, Lucilium suum
 monet, vt alicuius clarioris viri præsentia
 sibi fingat: Ait enim, prodest sine dubio,
 custodem sibi imposuisse & habere quem
 respicias, què interesse tuis cogitationib.
 iudices: nec multò post: Sic facies, inquit,
 quæcunq; facies. tanquam spectet aliquis.
 & post pauca aliquorum te, inquam, au-
 ctoritate custodi, aut Cato ille sit, aut Sci-
 pio, aut Lelius, aut cuius interuentu pro-
 diti, quoque homines, vitia supprimerèt.
 Et vt intelligas hanc etiam esse Epicureã
 doctrinam, Seneca idem alibi, Aliquis,
 inquit, vir bonus nobis eligendus est, ac
 semper ante oculos habendus, vt sic tan-
 quam illo spectante viuamus, & omnia
 tanquam illo vidente faciamus: hoc mi
 Lucili, Epicurus præcepit, custodē nobis
 & pedagogum dedit. deinde quibusdam
 interpositis quibus hoc consilium annu-
 merat: adiecit. Et elige itaque Catonem
 ait, si hic tibi nimis videtur rigidus, elige
 semis-

remissioris animi virum Lelium, elige eum. cuius tibi placuit, & vita & oratio, & ipse animum ante se ferens vultus. Vides vt aliquot enumeratis, vtrobique nobis liberum linquit eligere quem velimus, modò aliquem eligamus, cuius nobis nō genus, non potentia, non opes, sed virtus & conuersario & testis animi frons, & motura animum verba placuerint. & hoc quidem de imaginario teste vitæ philosophicum consiliū, inter suos nō inutile nobis, non necessariū, hunc in his literulis obtineat locū, vt quod diximus appareat tali teste, Christianum hominem nō egere, cui non Epicurus aut Cicero non Cato, non Scipio, nō Lelius imaginatione fingendus, sed angelus bonus vitæ custos, comēsque datus homini, quo spectante, si quis est pudor, audere non debet, quod coram homine nō auderet. Et quod summum & terribile dixerim, Christus ipse locis omnibus atque temporibus est præsens, non actuum, sed & cogitatum omnium verus testis, quos & si verè afforet testis Epicureus, non videret. Figere hic animū libet & cogitare, quis tam impudenti rabie vnquam fuit, tantamque scelerum licentia, qui non dicam Christum, sed amicorum Christi aliquem coram

cernens, non raptanti se præcipitantique libidini frena substringeret? Atqui Christum ipsum in abditis etiam animæ penetralibus semper assistere, & quid illis geratur introspicere, aperta omnia videre, nemo vsquam Christianus est. qui dubitet, nec ab omni dedecore tanti testis metu saltem & veneratione desistitur. quod hic præstigij est, nisi quia quem præsentem corde credimus, oculis non videmus, eoque relabimur, in quo veteres Cicero, qui Christum certe non nouerat arguebat, vbi ait. Nihil animo videre poterat, ad oculos omnia referebant? quod & si nobis accidit, & consilium optamus, idem nobis audiendus est Cicero, non quod alij præcipuè ex nostris definit, cum Augustinus ex hoc maximè librum veræ religionis mihi texuisse videatur, sed iuuat in re nostra peregrinū, vt ita dixerim, hominē audire, præsertim cū vnus idēq; locus sit, vbi & vulnus aperuit, & medicamenta cōposuit. ait enim: Magni autē est ingenij, reuocare mentē à sensibus, & cogitationē à cōsuetudine abducere. in hoc ergo summis & nos viribus enitatur, vt sensibus domitis, & victa cōsuetudine aliquid animo videamus, aperiamus iā tandē, atque purgemus oculos illos intrinsecos, quibus
 inuisi-

inuisibilia curuētur, Christū adesse vide-
 bimus. & si de Marco Catone scriptū est,
 q̄ puduit gementē, illo teste, mori, quātō
 magis pudebit Christo spectātē malè vi-
 uere, malè mori, aut omnino facinoroso-
 rū aut turpē aliquid tāto sub teste cōmit-
 tere. Sanè noster hic testis infallibilis atq;
 perpetuus, vt ad propositū sermo redeat,
 & si vbiq; præsens sit, nusquā tamē esse præs-
 entior, nusquāque familiarius nos audire
 & nobiscū colloqui quā in solitudine di-
 gnatur, nimirū, nā & nullus interstrepit, &
 quod ab intētionē mentē distrahat nō est,
 sic humanus animus assuescit cœlestibus,
 frequentiq; colloquio fiduciā salutarē cō-
 cipit, & ex hospite atq; aduena fit dome-
 sticus Dei. Magno enim ex amore conti-
 nuōq; & fideli cultu inter Deū & hominē,
 familiaritas tanta est, quanta inter homi-
 nē & hominē nō est: quāobrē vt laborio-
 sos homines, & mortalibus semper rebus
 implicitos, ac terrenis occupationibus to-
 ta intētionē demersos, iam nunc occupa-
 tionū immortalīū & inferni laboris habe-
 re primitias crediderim, sic simillimū ve-
 ri putē, solitarios Dei amicos, piis assue-
 tos curis, iam hic æternæ vitæ præsenti-
 re delicias. Nec incredibile dixerim, posse
 aliquem ex hoc numero, cui secula-

ris cœni vestigium nullum extet, ad eum gradum misericordia subleuante confurgere, vt adhuc terris inclusus, concinentes in cœlis angelorum choros audiat, & videat in excessu mentis, quod ad se rediens non possit exprimere. Sed quid horum omnium scire, quidne de his loqui possim peccator, infelix, & peccati mei pondus ac vincula circumferens, qui vel amore literarum amicum ocio, & literis locum amo, vel fortasse odio quodam ex dissimilitudine morum orto, populum fugio, & fortasse conscientia vitæ meæ, multiloquum testem vito.

De libertate solitarij, & studio mentali.

CAP. IX.

HIS igitur prætermisissis, quanquã bone Iesu. ad hunc finem creati abs te, vt in te requiescamus, ad hoc nati, & sine hoc inutiliter atque infœliciter nati sumus. quanti tandem Pater æstimes illa communia, viuere vt velis, ire quo velis, stare vbi velis, viuere inter purpureos florum thoros, autumnno caducarum inter frondium aceruos acquiescere, apricatione hyemem, vmbri æstantem fallere, neutram sentire, nisi quam velis? in vtraque tuum esse, & vbi cunq; fueris esse tecum, procul à malis, procul ab exemplis scelerum,

rum, non impelli, non collidi, non affici,
 non virgeri, nondum esurire malis, in con-
 viuium trahi, dū tacere cupias ad loquen-
 dum cogi, non importunè salutarī atre-
 ctarūque ac detineri in compitis, & vira-
 nitate incondita & insulsa totos dies in a-
 culeo pendere, obseruare prætereuntes.
 Quis te vt monstrorum aliquod intuea-
 tur admirans, quis pedem figat occurso,
 quis flexus in tergum herreat, & aut nescio
 quid raucum in aurem comitis insusur-
 ret, aut de te obuium, interroget, quis in
 turba vel molestè virgeat, vel aliquanto
 molestius loco cedat, quis manum porri-
 gat, quis ad caput illam referat, quis mul-
 ta in angustiis loqui paret, quis tacitus o-
 culo signum det, & stricto transeat label-
 lo. Demum non inter tædere, senescere,
 intèrque saltantium greges premere sem-
 per & premi, artari spiritum, mæstis que
 vaporibus afflatum, hyeme licet media
 sudare, non humanitatem inter homines
 dediscere affectūque fastidiis, odisse
 res, odisse homines, odisse negotia, odisse
 quos diligas, odisse teipsum, non obli-
 uisci tuarum rerum, vt multis ingratis va-
 ces. Sine præiudicio tandem apostolicæ
 sententiæ, ad Romanos quæ est: Quod
 nemo nostrum sibi viuit, & nemo sibi

moritur, siue enim uiuimus domino ui-
 uimus, & siue morimur domino mori-
 mur, ita tibi uiuere & mori, ut non aliis
 quàm Domino uiuas & moriaris. Stare
 interim uelut in specula, res curasque ho-
 minum sub pedibus intuentem, uidere o-
 mnia tēque imprimis, cum uniuersitate
 transire, nec senectutem tacitè subrepentem,
 prius molestam pati, quàm proximā
 suspicari, quod omnibus propemodum
 occupatis accidit: Sed eam multo ante
 prospicere & preparare illi integrum cor-
 pus, æquum animum nosse, uitæ umbram
 hanc non uitam, diuersorium non do-
 mum, uiam esse non patriam, non cubicu-
 lum sed palæstram, non amare quæ fu-
 giunt, optare quæ permanent, hæc ipsa
 dum assunt, ferre pacifice: semper te me-
 minisse mortalem, sed cui sit immortalitas
 repromissa, mittere retro memoriam,
 perque omnia secula, & per omnes terras
 animo uagari, uersari passim & colloqui
 cum omnibus, qui fuerunt gloriosi uiri,
 atque ita præsentis malorum omnium o-
 pifices obliuisci, nonnūquam & te ipsum,
 & supra se eleuatum animum inferre re-
 bus æthereis, meditari quid illic agitur, &
 meditatione desiderium inflammare, tē-
 que uicissim cohortari, & ardentium qua-
 si uer-

si verborum facultas calidis admonere præcordiis, qui quod inexperti nõ intelligunt, non vltimus solitariæ vitæ fructus est. Inter hæc vt notiora nõ sileam, & lectioni dare operam & scripturæ, & alternum laborem alterno solatio lenire, legere quod scripserunt primi, scribere quod legant vltimi, & beneficij literarum à maioribus accepti, qua in illos non possumus, in posteros saltem gratum ac memorè animum habere, in eos quoque qua possumus, non ingrata, sed nomina illorũ vel ignota vulgare, vel obsoleta renouare, vel senio obruta eruere, & ad pronepotum populos veneranda trãsmittere, illos sub pectore, illos vt dulce aliquid in ore gestare, denique modis omnibus amando, memorando, celebrãdo, si non parem, certè debitam meritis referre gratiam.

Quomodo quarundam artium inuentoribus diuini honores attributi sint. C A P. X.

Inventores artiũ quarundam, post mortem diuinitatis honore cultos audiui-
mus, gratè quidem potius quàm piè, nulla est enim pietas hominis, qua Deus offenditur, sed erga memoriam, de humano genere benemeritorum, inconsulta gratitudo mortalium, humanis ho-

noribus non contēta, vsque ad sacrilegas
 processit ineptias. hinc Apollinē cythara,
 hinc eundem ipsum atque Æsculapium
 medicina, Saturnū liberūque & Cererē
 agricultura, Vulcanū fabrica Deos fecit,
 hinc Ægyptus Osirim Athenæ docta
 vrbs Mineruam coluēre, quod illi lini,
 hæc olei vsū artēque lanificij reperisse
 fertur. longū est singula prosequi, quòd
 apud veteres huiuscemodi vanitatum
 nullus est modus, quas palam damnare,
 non ausus ille poëtarum maximus atque
 cautissimus, vt qui verò paratum fortè
 suppliciū verebatur, latenter vtique, nec
 minus eleganter irridere non metuit,
 quandoquidem animas eorum inuentas,
 qui vitam excoluēre per artes, quorum
 nomina vulgus mendax, & omnium fons
 errorū, in cœlū cœli domino indignāte,
 locauerat, apud inferos ponit. nominatim
 insuper ipsum medicinæ repertorem,
 omnipotentis dei fulmine detractum, ad
 stygias vndas canit. verum hæc quæstio
 inter eos maneat, apud nos enim nulla de
 dijs est quæstio, nec verò mirari vnquam
 satis possū, viros in cæteris omnibus tam
 perfectos, in solis superstitionibus tam
 deliros, & quasi velocissimos cursores
 euntes in diuersum, & ante oculos metū
 positam

positam non vidētes, vt quorum pernicitatem miror, miserear cæcitatem. Sanè si talium rerum primis auctoribus honor aliquis debetur, quem deberi magnū, modò humanum, modestūque nō inficior, quid nō literarum artiumq; nobilium re-
 pertoribus debeat, qui non vomerē sulcis, nō telā lateri, nō fidium tinnitum auribus, nō oleum aut vinum gutturi, quāuis & auribus & gutturi suos sonos suāsq; delicias, sed fœliciora quædā instrumenta ad cibū & ornatū cultūq; & medelā animi peperere? Enim verò id debitū, vbi quæso potissimū persoluatur, aut quis est q̄ dubitet, hoc ipsum literarū negotium, quo vel nostrum vel alienum cōsecremus nomē, quo multo perennius q̄ ære, vel marmore virorū illustriū imagines excidamus? nusquam omninò melius, nusquam liberius, quàm in solitudine posse tractari, expertus hoc saltem loquor, sentio quos animo stimulos, quas alas ingenio, quod illa operi vacuum tempus accommodat, quæ omnia præter illam vbi quæram nescio. Vacuitatem verò seu vacationem dici magis literarum atque artium fontem esse, si mihi fortè non credis, Aristoteli crede, qui primo Metaphysicæ suæ libro, circa Ægyptum constitutas mathe-

maticas artes ait, rationem asserens, quod
 ibi gens sacerdotum vacare dimissa est,
 quod nec Plato ipse tacuerat, de eisdem
 loquens in Timeo, quod sacerdotiis præ-
 diti, separatim à cætero populo manent,
 ne contagione aliqua prophana castitas
 polluatur. de quorum vita, ut vnus è sa-
 cerdotibus nostris ait, Cheremon Stoi-
 cus, vir eloquentissimus narrat, quod o-
 mnibus mundi negotiis curisque postpo-
 sitis, semper in templo fuerint, & rerum
 naturas causasque ac rationes syderum
 contemplati sint, nunquam mulieribus
 se commiscuerint, nunquam agnatos
 nec propinquos nec liberos quidem vi-
 derint, ex eo tempore, quo cepissent di-
 uino cultui deseruire, carnibus & vino
 se semper abstinuerint. Addit adhæc,
 quod biduana ac triduana inedia, humo-
 res corporis ex ocio atque immobilitate
 nascentes, acerrimè comprimere & casti-
 re sint soliti. multa quoque de cibo, de
 potu, de accubitu, quibus moribus, di-
 uinam ingenij vbertatem facilè credide-
 rim contigisse.

SECTIO V.

De rationibus, quibus aliqui vitam solitariam reprehendunt.

CAP. I.

NEc sum nescius, ut hoc loco mihi violenter occurritur, ab his quibus solitudo & literis inimica videtur & virtutibus, dicunt enim in primis carere solitudinem magistris quibusdam, quasi literarum dispensatoribus, atque ut ita dixerim, tenerorum altoribus animorum, sine quorum ope continua, profectò rara nunquam ingenia surrexere. Ita verò hoc dicunt, quasi ego pueris loquar, & nò his qui domi ferulã pædagogum dimiserint, instant tamen acrius, & eruditis etiã viris distrahi ingeniũ, huc illuc prospectu vago & cœlo liberiore, cõfirmãt. quòd quidẽ ubi grãde aliquid molitur, rapidi more cornipedis, magno quem saltui præpares frenandũ colligendũque, doctus nemo negauerit. huius sententiæ patronum Quintilianũ habent, qui libro Oratoriarum institutionum, nisi fallor nona, cum secretũ & liberum arbitris locũ, & quàm altissimum silẽtium scribentibus maximè conuenire, deque hoc neminem dubitare dixisset, procul dubiò hac in parte mecũ sentiens, mox adiecit, vnde dissentiens

videretur, Et non tamen, inquit, protinus audiendi, qui credunt aptissima in hoc nemora syluâsque, quod illa cœli libertas locorûmque amœnitas, sublimem animû & beatiorem spiritum parent, mihi certè iucundus hic magis, quam studiorum hortator videtur esse secessus. namque illa ipsa quæ delectant, necessè est auocēt ab intētionē operis destinati, neque enim se bona fide, in multa simul intendere animus totum potest, & quocumque ipse respexit, definit intueri quod propositum erat. satis utique dixerat, & tamē vt penitus ita sibi persuasû scias, insistit ac reperit: Quare, inquit, syluarum amœnitas & præterlabentia flumina, & inspirantes ramis arborû auræ, volucrûmque cantus, & ipsa latè circumspectiendi libertas ad se trahūt, vt mihi remittere potius voluptas ista videatur cogitationē, quàm intēdere. Ecce igitur vt aduersum me non spernendus testis in iudicium venit, qui velut auctoritati propriæ parum filius, Demosthenis haud vulgaris equidem notæ viri, sed absque æmulo Graiæ facundiæ principis, factum profert, opinioni suæ consentaneum. Et Demosthenes quidem, inquit, melius qui se in locû, ex quo nulla audiri vox, & ex quo nihil prospici posset

recondebatur, ne aliud agere mentē cogere-
 rent oculi: habes ō studiose syluarū lecta-
 tor miratorque, dicat aliquis, qui sylvas
 & colles & secessus auos, non tantum
 inutiles studiis opinetur, sed damnosos.
 quid hic dicam? negem aut locutum vera
 Quintilianum, aut rectē fecisse Demo-
 sthenem, immò verò vel in sententiam
 horum ibo, vel hos in sententiam meam
 traham? conuenire securius, quàm luctari.
 Poteram nempe perfacilè hos incursum
 auertere, quod Oratores ambo, hic quidē
 clarus, ille clarissimus. nec dubium, nulli
 studiosorum generi minus sylvas, & ea de
 quibus hic loquitur, atque omnino solitu-
 dinē cōuenire (quòd expressius dicam cū
 ad exempla peruenero) sed nō hic euadere
 est animus, nec fuga nec bellum placet,
 concordiam quæro, itaque quamuis ego
 nusquam foelicius, quàm in syluis ac mō-
 tibus ingenium experiat, nusquam mihi
 paratius & magnifici sensus occurrant,
 sicubi tamen magnificū aliquid occurrit,
 & æqua conceptibus verba respondeant,
 nolim tamen, quod mihi forsan singulare
 est, ad vniuersos trahens dictum factūm-
 ue tantorum hominum damnare, quin v-
 trumque potius amplector, & probo neu-
 trum nostro proposito aduersum. Neque

enim studiosis impero, vt in syluis aut in montibus libros scribant, sed permitto vt tali spectaculo recreatū animū, in angustias cogant tacitas atque reconditas, quas tamen nullo loco aptius, quā in solitudine posse contingere, quis est, qui non, quamlibet vrbium amicus, intelligat? fuscum igitur ac silentem locū, qui ad scribendū venit eligat, hoc enim iubentibus non obisto, quod diurno scriptori dictū, nocturnus non respuat lucubrador. qua in re, ipsius Quintiliani consilium non inefficax expertus, tecum studiosissime Pater, & cum lectore cōmunico, ille enim laudans Demosthenis hunc morem, ad extremum ait: Ideò lucubrantes silentium noctis, & clausum cubiculum, & lumen vnū velut rector teneat, nihil horum vt arbitrator solitudini obstare, sed fauerem cūcta fateberis, itaq; si inter tātas voces audior, cōsiliūque nouum nō despicitur, & hōs sequor, & lōgius euectus, si loci optio integra est, scripturum noui aliquid admoneo, quotiens se exemplo Demosthenes includet.

Quod sylua, loca virentia, & amnes plurimum conferunt solitarijs. CAP. II.

Illud ante prouisum sit, vt post secundos
Lingenij successus, egressu facili in syluas
& loca.

& loca virentia, quoq; nihil est Musis amicus, queruli amnis in ripam grauedinem possit fatigationemque deponere, nec idè minus in aruum ingenij rerū semina iacere, & inter ipsum quietis reparandiq; animi tempus venturo labori materiam præparare, vtile simul, & iucundum opus, & actiuosa requies & quietus labor, vt cū ad angustam illā Demosthenis ac secretam aream reditum fuerit, sententiarum sementē, inutilibus excussis, votiua verborum messis æquiparet, atque ita nullū studio tēpus iners aut inane præterfluat, quod his præcipuè dictū sit, qui orationes texūt aut historias, nā qui philosophiā, ac maximè qui poëticiā meditantur, quibus acuta potius & arguta, quàm multa conquirere mēs est, eos libertati propriæ relinquēdos censeo, impetū ingenij sequantur, cōsidant vbicūque est animus, vbi locus tēpūisque suaserint, aut vbi se stimulis maioribus adigi senserint, seu cælo aperto, seu clausæ tecto domus, seu solidæ rupis obtentu, seu patulæ pinus vmbraculo, nō multorum cuolutione voluminum est opus: Illis iā ante perlectis in animo legūt, sæpè etiā in animo scribunt, lectione præterita, sed præseti ingenio sese attollūt, nepe supra humanū modum rapiantur.

portet si suprahominē loquivolūt, id sanē
locis apertissimis expeditius geri interdū,
& alacrius animaduerti. vnde sæpè mon-
tanum carmen, quasi hædū è toto grege
lētissimū atque lectissimum vidi, & nitore
insito admonitus originis, dixi mecum:

Gramen alpinum sapis, ex alio venis.

Equidem vt huic tandem articulo finem
faciam, & Marcus Tullius, & Virgi-
lius Maro, quos eloquentiæ principes
Latinæ nemo eloquens negabit, huic
consilio hærebant, dum alter cum sæpè
alias, tamen præsertim ad tractatum legū
Ciuilium accessurus, frondosas quercus
& delectabiles secessus, quòdque ibi scri-
ptum memini, ripam & vmbra, & pro-
cerissimas populos, & concentum auium,
& strepitum fluuiorum, atque æquas in
partes scissi amnis in medio insulam par-
uam, & huic nostræ simillimā quæreret:
alter autem suum Alexim, quisquis is est,
pastorio carmine laudaturus:

Inter densas umbrosa cacumina fagos.

Affiduè veniens, solus in montibus & syl-
uis id faceret Platonem secuti ambo, qui
inter ociosas cupressera & spatia sylue-
stria, de institutis Rerumpub. déque o-
ptimis legibus disputarat. Nota nimi-
rum & vulgata commemoro, multum
tempore

tempore posterior Cyprianus, fide au-
 tem prior & martyrio clarus, nec ob-
 scurus eloquio; tale quiddam & sensif-
 se videtur & scripsisse, quod vnum ex
 multis ingens mirator eius Augustinus
 in libris suis, quasi illius ingenij experi-
 mentum & eloquentiæ gustū ponit, quæ
 in eo quanta esse potuerit, nisi gravitati
 rerum dedit, verborū neglexisset ornatū,
 loci illius commemoratione notū nobis
 esse voluit. Vbi ingenium exercens non
 ait, hunc thalamum loco abditum, cinctū
 muris, communitū seris, marmorea opa-
 cum celatūque testudine, aut tale aliquid,
 sed Quid petamus, inquit, hanc sedem dāt
 secessum vicina secreta, vbi dum erratici
 palmitum lapsus pendulis nexibus, per
 arundines baiulas repunt, viteam porticū
 frondea tecta fecerunt. ecce quā porticū,
 & quam sedem vir sanctus & eloquens
 appetebat, vites, palmites, frondes, arundi-
 nes, & inter hæc studiosis semper amabile
 secretum, quod vtique non optaret, si
 præter muros ac tectum nullis benè succes-
 sibus ingenium crederetur. Possem nunc
 apud alios hoc ipsum quærere, & plurimum
 testimonio rem firmare, ni vererer, ne aut
 fidei minus habuisse tanti testibus, aut
 curæ amplius suscepisse dicerer quàm
 f. iij.

oportet. Hastenus ea lege differui, quid sentirem, vt nullam ingenijs legē imposuisse me sentiant, quæ hæc legent, si quis adedò abundans ocio erit, vt ocium nostrū legat, singula igitur examinent de veritate rerum, nō tam mihi vel alijs quàm experientiæ credituri.

De interpretatione verborum Senecæ, quibus solitudinem impugnare videtur.

CAP. IIIII

IAM verò qui solitudinem virtutibus inimicam volunt, astipulatorem videntur iher cæteros Annæum Senecam habere, qui epistolarum suarum quodam loco, Omnia nobis mala solitudinem persuadere, & rursus alio loco: Mala ibi consilia agitari, cupiditates improbas ordinari, audaciam acui, libidinē irritari, itacundiam instigari, ait, quæ si indefinitè aut vniuersaliter dicerentur, haud dubiè vel Senecæ resistendum, vel solitudinis patrocinium deserendum erat. sed non ita est. ea enim non nisi de stultis, & qui passionibus vincuntur dicta esse, luce clarius, in ipsis Senecæ verbis apparet. Lugentem, inquit, timentemque custodire solemus, ne solitudine malè vtatur, audis aliquem solitudine prohiberi,

beris, sed aduerte causam: luctum scilicet & timorem, acerrimas animi passiones, quod ipsum latius extendens. Nemo est, inquit ex imprudentibus, qui relinqui si debeat. id vtrique verum esse quis non videt? qui enim sui impos est, mox ut sibi relinquatur, oportet ut ruat. talibus qui dem ego non inimicam modò solitudinem, sed nec amicam urbem iudico, eò tamè amiciosem, quod illa ut criminum ministros, sic & scrutatores habet & vindices, hæc impunitatis & latebrarum spe, rejicit legum metum & reuerentiam honestatis: cæterum altera libertatem impudentiamque peccandi, altera fautores scelerum atque instrumenta suppeditat, vtrumque pestiferum, verum ea natura peruersitas, non solitudinis culpa est. Quod ut prorsus ita esse, nec aliud Senecam voluisse peruideas, eadè epistola illam ipsam solitudinem mæstis ac pavidis & imprudentibus interdictam, Lucillo suo non modò permittit, sed suadet ac præcipit. Sic est, inquit, non muto sententiam: fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam vnum, non habeo cum quo te communicatum velim, & vide quod iuditiū habeo, audeo te tibi credere. Durū nisi fallor ac præcisum

dogma. Fuge, inquit, multitudinem, libenter id quidem. fuge paucitatem, parior non molestè. fuge etiam vnum, nil est quo me vltè trudas, ad extremam solitudinem coartasti. quid iam restat nisi vt me ipsum fugiam? si & tunc tamen vnum fugero, non habeo cum quo te communicatū velim. mirū. ego verò habeo cū quo te, & fortassè plures, sed perfectò vnum habeo. O si nunc tale aliquid amico consulam, exclamabunt vndique solitudinis ac virtutis aduersarij, méque saxum & inhumanum dicent, atqui Seneca tantus vir, charissimo omnium amico præcipit, etiam vnum fugere, ac perfectò consumatòque viro loquitur. hoc si quis dixerit cum bona venia, negabo, proficientium potius quam perfectorum ex numero fuisse Lucillum iuratus testis Seneca ipse fatebitur, quem & si frequenter laudet, qui amantium mos est, si perfectum tamen nosset, nec totiens hortaretur, nec aliquando reprehenderet, at si studijs saltem virtutique dedito dicat aliquis, hic fatebor, sed eò planè reuertimur quo volebam. neque enim ego alijs quàm literarum & virtutum studiofis loquor, reliquis salubre consilium nullum habeo, nisi vt ante omnia vitam
mutent,

mutent, tum de loci opportunitate videbimus.

Quod in quibus opportuna est solitudo. nõ sit suadendum, vt amicitia iura cõtemnant, & quot turbas non amicos fugiant.

CAP. IIII.

CÆterum his ipsis, quibus solitudinem opportunam dixi, nunquam suasi. vt studio solitudinis amicitia iura contēnerent, turbas non amicos fugiendos dico, quod si quis esse sibi amicorum turbas extimat, primum videat ne fallatur, id verò maximè deteget repentina necessitas, mutatiõque fortunæ, quæ sicut optanda non est, experiendi cupidine, sic si accidat experientia & discutendis erroribus multum cõfert. deinde si vt reliquarum rerum, sic amicitiarum, alter altero ditior fuerit, non mouebor, nec tam amicos fugere solitarium monebo, quàm optare, vt ad se visendum singulatim potius, quàm cateruatim veniant, non ocio tædium, sed solamen & auxilium laturo: sit ocium modestum & suaue, non insolens, sit solitudo tranquilla, non ferox, sit denique solitudo non immanitas, in quam qui venerit, miretur humanitatem, quæ ab vrbibus exulat, sylvas incolere, sèque vrsos in populis ac leo-

nes, in solitudine angelicum hominem
 inuenisse, ita planè sentio, atque hūc me-
 dium inter extrema callem teneo. Al-
 ter non nisi inter turbas gaudet, huic mi-
 sericordia magis quàm redargutio debe-
 tur, alter autem, inquit, fuge, etiam vnum
 huic nescio quid dicam. tangis fateor Se-
 neca, & auctoritate premis tua inclinatu-
 rus forsitan, nisi alter obfisteret nō te mi-
 nor, & si maiore dixerō, credo non indi-
 gnabere. Marcus Cicero amicitiaē legem
 tractans, non hos tantum, quibus amici-
 tia post virtutem iucundissima rerum est.
 sed asperos etiā & immanes, humanam-
 que societatem atque congressum fugiē-
 tes, quorum vix vnicum exemplum toto
 orbe reperit, pati non posse ait, nisi acqui-
 rant aliquem non dixit amicum, natura
 enim obstabat, sed apud quem euomant
 virus suæ acerbitalis, sumptaque hinc oc-
 casione, Tarentini Archytæ dictum re-
 fert; cuius ea sententia est. Neminem non
 modò in terris, quantalibet rerum affluē-
 tia, sed ne in cœlo quidem præsentī syde-
 rum conspectu, mundi que notitia fœli-
 cem esse posse, nisi habeat, cum quo il-
 la participet, sic naturam nihil omninò
 solitarium amare. Idem famosiore alio
 quodam loco, si omnia nobis, inquit, quæ
 ad

ad victum cultumque pertinent, quæ
 virgula diuina, vt suppeditarentur, tamen
 optimo quisque ingenio, negotiis omni-
 bus omissis, totum se in cognitione & in-
 scientia collocaret. deinde vt ironicè lo-
 cutum scires, apertè ait. Non est ita, nam
 & solitudinem fugeret. ecce quàm pau-
 cis verbis, quæcunque de solitudine lo-
 quimur damnasse videtur, & fecerat ni-
 si vltèrius processisset, vt non tam Cice-
 ronius dictum exponendum nobis, quàm
 oratoris testimonium, licet in philoso-
 phiæ libris scriptum, seu suspectum ab
 hoc iudicio repellendum esset. Sed vt li-
 queat de extrema & inhumana tantum
 solitudine illum loqui, quam qui fugit
 profectò vnum etiam non fugit, atque
 ita non nostram, sed diuersam potius
 damnare sententiam, nec fuga solitudinis
 in turbam iri velle, sed id solum ne amo-
 re solitudinis humanitas fugiatur. Vide
 quid addidit: Cum enim dixisset, & so-
 litudinem fugeret, non dixit & socios,
 sed & socium ait studij, quæreret, tum do-
 cere vellet, tum audire, tum discere. Cum
 igitur tantis bonis ornata solitudo, si par-
 ticipare careat intolerabilis, etiam fero-
 cibus animis, humanumque perosis com-
 mercium videatur, quid mitibus &

humanitate præditis videri debet? quod si
 amicitia ignaris collocutor vnus, tantum
 solatij afferre creditur, quid veris amici-
 tia cultoribus fidelis amici conuersatio
 allatura sit, in quo sese videant, ex quo
 verum audiant, cum quo vt Cicero idem
 ait, sic omnia loqui audeant, vt secum de
 quo nulla suspicio, sub quo nulla fraus,
 pro quo nullus labor non suauis, sine quo
 nulla sit dulcis quies, à quo demum & ad-
 uersæ præsidia, & prosperioris fortunæ
 proueniant ornamenta? Hunc ego si à so-
 litudine secludendum arbitrer, durus sim?
 Nec verò vnquam mihi amici præsentia
 interrumpi solitudo videbitur, sed ornari.
 ad postremum si alterutro carendum sit,
 solitudine ipsa priuari maluerim quàm
 amico. Sic itaque solitudinē amplector,
 vt amicitiam non repellam, neque fu-
 giam etiam vnum, nisi forsan is ipse sit,
 cuius mores etiam in vrbibus fugiendos
 vite tranquillitas nō negligenda suadeat.
 Tota res igitur ad hoc redit, vt sicut cæ-
 tera omnia, sic ipsam solitudinem cum a-
 micis partiar, nullius boni, sine socio iu-
 cundam possessionem, humanis ab eodē
 Seneca dictum credens, solitudinem ve-
 rò magnum & dulce bonum esse non du-
 bitans, ab ea autem non scelestos modò
 sed

sed inertes & ignavos arceam. Vt enim Tyberij solitudo odiosa est, qua Capreas insulam immeritam, perpetua commaculavit infamia, vbi sævitæ ac libidinis officinam instituit, ferus & fœdus senex, sic Seruiliij Vatiæ solitudo ridicula est, qui non procul inde Neapolitano in littore, prope Campaniæ Cumas latens senuit, ocio famosus inutili, & intra villulæ suæ septum, non tam habitans quàm sepultus. & quàm multos esse credimus, vbi que Seruilios: sed hic antè alios occurrit, què irrifor nobilis notum fecit, & præstitit, ne inferre coëtaneis veritatis iniuriam, exemplique molestiam cogere mur, iam intelligis ad quos quæcunque de solitudine dicta, seu dicenda sunt referam. Verum quia nō omnibus est datum, vel sanctitate, vel literis excellere, præclaroque ocio posteritatis amorem ac notitiam promereri, vt nec præsens gloria, nec sequentis æui fama sollicitet, pro qua multi vitam voluntariè profuderunt, & ob id ipsum clari sunt habiti, quanti facies vt iam tandem ad propositum reuertar, hoc quantulumcunque vitæ tempus, cuius cum semel effluerit recolligendi reparandique spes, nulla relinquetur tuum esse? quòq; nulli mediocriter erudito ve-

titum est, cogitando saltem legendoque placidis fœtum curis, & rerum vinculis explicitum animum habere, Deo & rationi subditum, cætera liberum, corpus quoque graui iugo eductum, animoque soli feruiens. & si quando insolentiam rebelaret, mox imperata facturum, ereptum mille laboribus, mille periculis, mille ludibriis, posse ire pro libito, sedere, consistere, loqui, conticescere, meditari non interpellantibus negotiosis atque sollicitis, quibus miseris esse nō sufficit, nisi ad miseriam cumulū alienisq; miseriis abutatur.

De singulari gaudio solitariorum in dimissione temporalium.

CAP. V.

Quid de præterito, gaudium dicam, quod velut à tergo venit? & quidem illud Virgilij notissimum forsan,

& hæc olim meminisse iuuabit:

Nec illud ignotum: *iuuat euasisse tot vrbes Argolicas, mediisque fugã tenuisse per hostes.* Apud eundem Poëtam, duo hæc diuersa verborum sono, sed eodem spectantia vnus idemque loquitur Æneas. Audis vt propriè inter labores futuri temporis, verbo vsus, illis exactis præsentis vitur, & ubi dixerat, *Iuuabit meminisse, iuuat, inquit,*

quit, euasisse. sic est enim, dulce nonnunquam est amara recordari, demulcētque animum transmissa pericula, quamlibet in partem, habet enim & prosperitas pericula sua, nec pauciora certè, nec leuiora, & profectò fallaciōra quàm aduersitas:

Quàm metui nequid Libye tibi regna nocerēt?
 Apud ipsum Virgilium anxius pater ait. quanta ergo delectatio, quanta securitas solitudinis, metuenda qualibet emensæ & à tergo procul sua mala numerantis. quàm delectat illæsum transisse pestifera, & in biuio vbi ad læuam mors erat, dextrorsum tenuisse, eòq; magis quo in partē alterā deliberatio pronior fuit. Habet enim hoc natura, vt ibi maius præsentiusq; discrimē fuisse recolitur, ibi de præterito plus gaudij sit. quod ita esse nūquā clarius quàm post ancipites egritudines, post horrēda naufragia, post hostilē carcerē formidatāq; bella perpēditur, itaque sanitati redditos portūmq; tenentes, & ex insperato vinculis elapsos, aut victores crebro audias, periculorū historias suorum cum gaudio renarrātis. quod verò suauiter in animū redeunt, vel sprete mūdi blāditiā, vel cōtēpti honores, vel benè sparset diuitiē, vel despecte voluptates, neglecte q; mihi vel alto animo calcata calamitas, vel

quicquid omninò fallere potuit nec fellit. sed tamen potissimum hæc delectant, cum prorsus euaseris, vt nullus iam periculi metus sit.

S E C T I O VI.

De tædio ac stultitia occupatorum, & urbium habitatorum.

C A P. I.

ET vt minima etiam quæ videntur attingam, parum ne tibi videatur, quotidiano illo tædio caruisse, quo vix habitator urbium vnquam caret, quod scilicet non tantum homini homo, sed sibi etiam ægra mens parit, secum ipsa discordans? occurrent tibi passim in plateis urbium stultorum greges, quibus nihil sit in ore frequentius, quàm verba illa Grammaticorum, piget, tædet ac pœnitet. Et illud Terentij: Nec quid agam scio, credo singula, præcipuè que nouissimum: nam si quid agerent scirent, confestim querelæ omnes conquiescerent. cuius enim rei tædet, oro te, nisi ignorantia stultitia que propriè? Senecæ verbum est: Omnis stultitia laborat fastidio sui. non placet eis vita, nec immeritò: nihil enim habent stabiliti consilij, nihil firmi, nihil ad extremum placiti, quoniam vt ibidè ait, Idem nisi

nisi sapienti sua non placent: nesciunt quid agant, seque id nescire non nesciunt, neque dissimulant. consequens est, ut ad quid viuant nesciant. Quomodo igitur ament, quod cui vsui sit ignorant? plerique ita viuunt, quasi ad nihil aliud, quem ad feruendum gulæ ac ventri sese natos putent, prorsus infausta mancipia, tam turpibus dominis addicta. quod ita se habere, ne qua dubitatio sit, quæri inter eos solet, si qua naturæ parentis indulgētiæ, homini vitam daret, non somni neque cōcubitus, non cibi neque potus indigentē, sed cui absque his adesset & quies & soboles, & sobria iugisque satietas, an optabilior ea vita esset, an hæc nostra, quæ necessitatibus tam multis obiecta semper atque subiecta est? & quotiens casu aliquo his disceptationibus interfui, & in finem tacitus intindens, rarò aliquem ex his audiui, qui nõ hanc nostram miseriam, illi beatitudini præferendam intrepidè diffiniret. Qui illud insania exultantes dicere soliti sunt, nam quid si somnum, si concubitum, si cibum potumque subtraxeris acturi sumus? aut quænam vita futura est, vitæ muneribus & officiis spoliata? ut penitus præ se ferant & impudentissimè fateantur, ad nil se aliud viuere, quàm ad ea, quæ cōmu-

nia brutis animantibus sunt nobiscum. quasi verò non perditum illud tempus, quo breuissimam hanc vitam, cum somno & voluptate partimur, in melioribus curis, & vel in contemplatione Dei, vel in cognitione rerum, vel in exercitio virtutum possit expendi. quoque grauius stomacheris, omni ferè sanioris consilij spe sublata, Deum memoriámque meam testor, hæc me sæpius ex ore senum audisse quàm iuuenum.

De errore quorundam senum occupatorum, & urbium habitatorum. CAP. II.

EA nostrorum senum grauitas atq; maturitas est, vt à voluptate diuelli miserū ducant, mortem ante oculos habentes, mox è putri ruinosq; membrorū habitaculo, miseros auulsuram, ad eò voluptatis nomē ab adolescentia dilectum vsque in senum dulce est, vt si voluptas desit, voluptatis effectū spernant, nec nisi fædo & cœnoso tramite velint quo cupiunt peruenisse, prorsus infœlices & erronei viatores, qui terminū oderint, viam amentiam termino propinquantes. Quorum si quis ad fatendum talia tardior appareat, ita tamen dubitantē, ita disputantem audias, vt intelligi detur, pudore eū à falso magis retrahi, quàm animi iudicio verū sequi: de
his

his in libro veræ religionis Augustinus. Quibus, inquit, vilis est corporis salus, malunt vesci quã satiari, & malunt frui genitalibus. mēbris, quã nullam talē cōmotionē pati, inveniuntur etiã qui malint dormire, quã nō dormire, cum omnis illius voluptatis finis sit, non esurire ac sitire, & non desiderare concubitus, & nō esse fatigato corpore. nec longè post. Qui sitire, inquit, & esurire? volunt & in libidinem ardescere & defatigari, vt libenter edant & bibant & concūbant & dormiant, non dixit amant miseriam & dolorem, nemo est enim tam auersus à salute, vt doloris & miserix nomen amet, sed amant, inquit, indigentiam, quæ est initium summorum dolorum. Constat autem, sicut effectus in causis, sic in amore causarum amorem effectuum contineri, itaque concludens terribiliter. Perficietur ergo, inquit, in eis quod amant, vt eis ibi sit ploratus & stridor dentium. vides vt ex causa effectuum elicit, quia amarunt indigentiam, miseriam consequentur. Multa ibi præterea diuinè in hanc sententiam disseruit. Res est autem vulgi ipsius cōfessione notissima, itaq; q̄ ait, inueniri qui hoc malint dicere possum⁹, inueniri iã paucos q̄ aliud velint, q̄ & si oculos paulò altius at-

tollere nituntur, vulgari fumo ac pulue-
 re excæcati nequeunt, neue ad meliora vo-
 cantibus aurem præstent, strepitus ac po-
 pularium errorum fragor impedit. Ita pars
 magna mortalium, se volens seu coacta bel-
 luarum moribus procurua, in terram & cor-
 pori obseques, animi negliges, sine virtu-
 tis illecebra, sine vlla notitia suimet spiri-
 tum trahit inglorium atque anxium, quam-
 vis enim natura melior interdum purgat
 ac vellicet, & admoneat sui, obstant ta-
 men impedimenta quæ dixi. Hinc vitæ o-
 dium, hinc tædij radix, hinc illa inquietu-
 do animi, quæ nil peius patitur mortalis
 homo dum viuit, quid igitur miri est, si
 horum actus & consilia fluctuant? si quic-
 quid inceperint non delectantur non est enim
 quod volebant, cum nil penitus certi ve-
 lint. Certum & semper vnum velle, sapiens
 est signum: votorum inconstantia summum
 stultitiæ argumentum est, non desinam ti-
 bi Senecam inculcare, id oranti, quæ por-
 tum petat, nullus suus ventus est, itaque si-
 mul eunt, redeunt, & vtrumque cum tædio.
 Vidisti aliquando vt se raptim loco mo-
 ueant, vt gregatim prodeant, vt repente
 dissentiant. Cum vnus hac ire cupiat, alius
 illac, quomodo enim inter multos conue-
 niat, cum secum quisque dissideat vsque aded-
 libet

libet enim immorari, vt quē paulo antè videris, nō agnoscas, & quē nūc nosse videare, post paululū percontari oporteat cuiās sit. Ita nunc læti, nunc tristes sunt, nūc humiles, nunc elati, nunc senio graues sunt, & immobiles, nunc puerili leuitate volubiles, vt illam iam parium collusio & temeraria iræ collectio, positiōque & mutatio in horas, quæ infantibus, Flaccus attribuit, propria & peculiaria senum sint. quorū instabilitas eò dānosior, quo liberior & monitores aspernatur, & auctoritate se cōtegit, & exemplo nocet. Et si enim cuiusq; natura suis vitiis abundet, magna tamē pars malorū, ex æmulatione quadā imitandique libidine nata est. nam quis vnquam imitator sui, ducis errore contētus fuit? transcendere delectamur & conspici, & quos sequebamur post terga relinquare. dedit hoc præceptum (fateor) eloquentiæ studiosis Quintilianus, vt imitator quisque cōtendere, quàm sequi malit, ea scilicet ratione, quia forsitan quem transire nitimur, & si non transierit æquabit. Eum verò, inquit, nemo potest æquare, cuius vestigiis sibi vtique insistendum putat, necesse est enim sēper sit posterior, qui sequitur. ad hoc quod plerunq; facilius est inquit, plus facere quàm idē. Alias

quoque causas affert dicti huius, quæ ut illic cognitu pulcherrimæ, ita hic relata superuacua sint. ceterum quod utiliter in oratoria, hoc est benè ornatæque loquendi arte præcipitur, ad artem malè turpiterque viuendi dånabiliter est translaturum, & quod ille iussit impleuimus, cõtendimus, æquauimus, vicimus, iam de sequacibus duces, sumus, venient, qui nos sequantur & superent, ut vna eadèmq; res variè sit proposita, erat imitatio, dicta cõtentio in vtraque tibi Quintiliane paruimus, verum alio sine proposito, tu verborum claritatè imitandam dicis, nos actu tenebras imitamur, inque hoc vnum studium, & feruens ille conatus noster impenditur, itaque utinam tam citò boni imitatores si qui sunt, duces suos æquet, quàm citò mali vincunt suos, quòd ad nos attinet, datum de orationis virtute cõsiliu pessimo artis additamento, morum vitiis applicantes, relicta nobis à patribus magno cum feruore ad posteros errorum exempla, transmittimus. & miramur auctum insanie cumulum, cui omnes adiciunt, detrahit nemo. potius mirer si quid iam ad amentia summam desit, tot in vnum vndique coeuntibus ingeniis, tantoque studio magistrorum. & quamuis actuum vitæque periculosior sit imitatio,

vbi

vbi maxima scilicet res agitur, tamen etiam in minimis furor iste versatur.

De voluptuosa imitatione vulgarium, & varietate habituum eorum qui urbes inhabitant. CAP. III.

VNde enim hæc habituum atque incessuum indies mira simul ac ridenda varietas, & nunc pedes contegens, nunc pudenda nudans vestis, nunc terram tergentes, nunc cubitum artantes manicæ, nunc mammillas conterens, nunc sub vnguina fluens zona? unde illa musci modulaminis, non sine graui discrimine Rerumpub. vt Platoni videtur? postremò unde ista vel stili, vel quotidiani etiam sermonis tam crebra mutatio? nimirum has odiosas & inamænas nugas, nihil magis quam præceps & importuna, nec suis vquam contenta finibus inuexit imitatio, inuectasque aluit auxitque. Quomodo enim fieri potest, vt viuendi tenor idē maneat his, qui non se virtuti, non suo iudicio, non amicorum consiliis regendos sed æmulatione, sed alienæ dementiæ, stultorumque furoribus, se voluendos tradunt. denique qui naturā propriam sic exuunt, patrios mores abiiciunt, nihil nisi peregrinum atque aduenticiū veneratur, totiens mutetur oportet, quotiēs aliquid oc-

curret quod mirentur. Nullus itaque mirandi, quia nullus imitandi modus, cuncta illis aliena placent, sua omnia displicent, quidlibet esse malint quam quod sunt, idque vnum hercle non immerito, si non animi leuitate, sed graui aliqua suarum rerum æstimatione contingeret, vnus apud Senecam imitator Sallustij, Arūcius rideatur, sed mihi crede, vicus omnis Aruntium suum, immò verò Arūcios multos habet, non verborum modò sed rerum simias. quo habitu, quo sermone, quo animo, denique quæ se esse velit nemo determinat, & ob eam causam quisque dissimilis sui est, vestigiis senum delirantium ingressa, nimum docilis iuuetus, magno spiritu ad supremum stultitiæ acumen euasit, primos secundis ac secundos tertiis, atque ita deinceps facile vincētibus, sic per manus traditus, & inter manus auctus furor, quātus ad nouissimos peruenturus sit, metiri animo difficile est. quāuis & illud forsan est verum, iā ad extremam peruentum esse, & in nobis esse completum, quod ante tot secula dictum erat.

Omne in præcipiti vitium stetit:

Vt sine ruina nullius vltior sit progressus, & fortè licentius instituisse videatur, huic loco quàm sat est. Quod si cui nota sit molestiarum mearum prima & maxima,

ex humani generis, atque imprimis Italię
 commiseratione proueniens, vnde olim
 virtutum exemplaria patebantur, qua, heu
 nunc video perigrinorum rituum imita-
 tione corruptam, & domitarum à se gen-
 tium, vt quondam spoliis, sic nunc errori-
 bus exundantem, fortassè mirabitur tan-
 tum me dolorè, tam breuibus absoruisse
 gemitibus. Nam quis tacitum ferat hoc
 nescio, vnde oriens rerum nostrarum in-
 dignum & turpè fastidium, vnde turpior
 admiratio, & cultus indignior nascitur
 externarum? an non sic maiores nostri,
 quorum dici vtinam posteri mereremur,
 sua illis placere poterant, & placebant.
 non Rheni vallem, non Danubij fluenta
 lustrabant, ad conquirendas has insanias,
 quibus Italicum decus in obscenam bar-
 bariem, degenerare compellerent, sed im-
 perij dilatandi studio, quærendæque glo-
 riæ peregrinabantur, signis erectis & ar-
 matis exercitibus, non deformitatem pa-
 trij habitus, sed triūphos & clara cogno-
 mina relaturi, nec tamen vsque adeò suis
 delectabantur, vt cuncta passim aliena cõ-
 temnerent, amabāt quicquid vsquam ve-
 ra dignum erat, æquè apud hostes, atque
 amicos, æquè apud alienigenas ac vici-
 nos. Sicubi virtus, sicubi morum splendor,

sicubi belli, sicubi pacis artes, sicubi lingue
 vel ingenij suppellex ornatior aut opulē-
 tior doctrina, cupidè suam in domo con-
 uehebant, nulla omnium spolia opimiora
 censentes. nec verò fallebat estimatio, nul-
 læ enim profectò diuitiæ certiores, quàm
 quæ animo possidentur. Sicubi autè turpè
 aliquid, vel castigare vel spernere studiū
 erat, noltra verò gloriosa posteritas, ma-
 gnum se aliquid affecutam credit, si quis
 adolescens, & quod magis stomachor, si-
 quis senex, vel ignoti aduenæ turpe sagū,
 vel stipendiarij militis ridiculam togam
 sumpsit, aut eò profectus est, vnde pube-
 tenus abscissa veste, domum redeat, seu
 insigni aliquo ludibrio deformatus, & ta-
 le aliquid passus liber, quale Dauid in suis
 seruis vltus est, tam grauitè, & quale nūc
 esset, si resurgat insani auus imitatoris,
 & misereatur & stupeat in nepote. quæ
 quidem omnia non aliter, quàm si ad me
 dedecoris aut gloriæ summa pertineat, iā
 pridè nescio, cur mæstus intueor, & post-
 quam obseruare primū cœpi, mirum in
 modum fateor, animo suspensus, expecto
 quis nam varietatum modus, aut vbi res
 desinat, hac sum, & malle m grate alia qua-
 libet natus esse. Et si enim nulli æuo que-
 relarum causa defuerit, & si tēpus talium
 inuentor

inuentor & cooperator, non bonus vt ait
 Aristoteles. sed malus, iam dudū hęc por-
 tenta decoxerit, nondum tamen ea con-
 sumator pessimus tempus excuderat, certē
 primi illi, quod omnes audiuius, maio-
 res nostri virtutem & gloriam mercaban-
 tur, quæ reposita est illis in memoria ho-
 minum sempiterna: nos quod omnes vi-
 demus, opprobrium immortale, & me-
 ras ineptias nundinamur, quod sæpè, nam
 nemini, & verbo & literis questus sum
 ne quicquā, tamen incubuit nobis ira Dei,
 & iusta nos ultio persequitur, sic se læsus
 omnipotens, sic se dominus orbis vlcif-
 citur, ille de ingratis seruis, iste de super-
 bis dominis supplicium sumit. Exclama-
 re liber: Quo pergitis, ah, miseri, quo nos
 vltima rapit insania, cohibete gradū, sub-
 sistite & videte quo ruitis, deseruistis pa-
 trū vestigia, vt ambuletis vias hostium, &
 quos armis vicistis, eorum erroribus victi
 estis. Repetite mores patrū, alienos finite,
 nō vt honestius tantū, sed vt letiūs viua-
 tis, & aliquando discatis vnū velle, de quo
 non quoruncunq; libidini, sed rationi
 insitæ iudicium tribuatis. hęc dicerem, &
 quiquid in rem præsentem, & indignatio
 dolorque dictarent, nisi obrorpuisse ani-
 mos, actūmq; de rebus nostris crederem.

*De quibusdam causis errorum, & temporis
amissione habitatorum urbium.*

CAP. IIII.

NEmpe qui aliis iter rectum ostendere solebamus, nūc quod exitio proximum est, cæci cæcis ducibus, per abrupta rapimur, alienoque circumuoluimur exemplo, quid velimus nescij, nam vt ceptum exequar, totum hoc malum seu nostrū proprium, seu potius omniū gentiū cōmune, ignoratio finis facit. nesciūt inconsulti homines quid agant, ideò quicquid agunt, mox vt cœperint, vergit in nauseam, non agenda enim agunt, sed quid agant quærunt, & in densissimis fruticetis, difficultatū causas ac negotia aucupantur. Hinc ille discursus, sine termino, hinc medio calle discordiæ, & ante exitum dānata principia, & expleti nihil. quærunt quomodo diē fallāt, & quasi parū Sol ad occasum properet, ingenio cursum iuuant. Et quā communis illa vox talium, Pellamus hanc diem, agamus aliquid, vt interim dies hæc transeat. atqui frenanda dies erat non vrgenda, sed lōga nimium illis dies, multūque nox longior, postremò longa ad fastidiū vita est, nec tantū hyeme æstatem, æstate hyemē, sed mane vesperā, sero autē auroram

exposcunt votis, vtrinq; cum venerit cō-
tempturi, impletur in eis ad literam quod
scriptum est: Sicut ceruus desiderat v m-
bram, & sicut mercenarius præstolatur fi-
nem operis sui, sic & ego habui mēses va-
cuos, & noctes laboriosas enumeravi mi-
hi si dormiero dicam quando cōsurgam.
& rursus expectabo vesperā, & replebor
doloribus vsque ad tenebras. quod inops
afflictisq; Iob dicebat, hoc valetudine
prospera, diuites nostri dicunt, quæruntur
replenturque doloribus, expectando, & cū
rerum natura perpetuò litigantes, segnes
horas increpant, pigra momenta præcipi-
tant, cum, vt dixi, freno non calcaribus res
egeat, si modò frenum vlla arte rapidissi-
mum tempus exciperet. isti autem puto
mortem, quam præ omnibus timent iam
adesse, vitamque quam præ omnibus op-
tant abiisse iam vellent, tanto nisi fugam
temporis impellunt, quàm exitij multis
causam fuisse certissimum est, qui futuro-
rum anxij, & præsentia semper exosi, vi-
uendi tædio manu mortem arcessere sunt
coacti.

*Quomodo iucunditas vite solitaria, præseruet
ab istis malis & tædijs. CAP. V.*

Quid autem hæc tam multa ad id v-
num, de quo agimus forsan interro-

ges. Nèpè ab his malis, & ab huiuscemodi
 tædio præseruat solitarię vitæ iucunditas.
 latè præsentibus vtitur, futura æquani-
 miter expectat, non pendet in crastinum,
 nihil in posterum diem differt, quod ho-
 die fieri possit aut debeat, nec immeritò.
 quid enim stultius, quàm futuro deside-
 rio aut spe, quod alienum est, & mille ca-
 sibus subiacet, expetere præsens, quod vnũ
 tuum est certũque negligere? nunquam
 pendere desinet, qui in crastinum pende-
 bit. nullus enim dies præter vltimum cra-
 stino carebit, nullus præter primum, non
 alicuius diei crastinus fuit. Quæ res vitæ
 nostræ malum, quo vix illum maius in-
 tulit, viuendi spe nunquam viuere, & mo-
 re canis ociosem se leporem insequentis,
 semper inanes auras morsibus captare,
 nunquam apprehendere quod intendas?
 siquidem dies crastinus vbi aduenerit,
 iam crastinus esse desierit, ecce iam vel
 crastinus alter apparet, vel idem ille clam
 progressus, & si enim dies alter est, vterq;
 tamen est crastinus. illum sequimur, ille
 semper iuxta, semper tamen antè est, &
 vicinitate nos fallit, & cū ad eum veneri-
 mus, improuisus elabitur, sic interim at-
 que interim è faucibus nostris ereptus, &
 semper antè nos fugiens, nunquam conse-
 cuturos

cuturo ad sequendum incitat. ita inter-
 rim nihil fit eorum quæ hodie fieri pos-
 sent. Solitario cui non modò de partibus,
 sed de tota ætate semel est constitutum,
 non dies aut nox longior, sæpè verò bre-
 uior est quàm vellet, dū honestis in rebus
 occupatum deserit, & ante suscepti finem
 operis lux finitur. Non tamen & diei no-
 ctē, & nocti diem addere, & vbi res e-
 xegerit vtrāque miscere: alioquin vtriuf-
 que partibus officia, & id omnibus mo-
 dis agens, ne datum tempus, cui neque sti-
 mulos adere vult neque finem potest, i-
 nutiliter effluat: in hoc omne consilium,
 omne studium ponit, & hic se totis animi
 viribus excitat, demum hæc illic curam
 omnium summa est, omnem malitiam,
 omnem molestiam, omne tædij sensum
 demens, hodiernū diem hodie vivit, cra-
 stinum si dabitur cras victurus. Illius in-
 terea spe suam rem agere non omittit,
 sciens illum multos fallere solitū, & mul-
 ta mentiri, huic potius fidem habet quod
 enim ille pollicetur, hic præstat. Et tanta
 est cæcitas mortalium, vt spem quam rem
 ipsā, cupidius amplectatur, nouit præterea
 quis habitus, q̄s sermo, qui mores iuuetā,
 qui senectā deceāt. his animū coaptat, nul-
 la mutatio est, nisi quā ætas ipsa suaserit,

quippe non assunt quos imitari velit, quibusve ducibus insaniat, ad naturam respicit, hanc ut ducem, ut parentem sequitur. à qua non verisimile est. ut ait Cicero, cum ceterae partes aetatis bene descriptae sint, extremum actum, tam quam ab inerti Poeta esse neglectum. Scio hominem, non dicam ut Paulus, sed hominem in corpore verum, & in similitudine constitutum, agresti victu, & studiis contentum suis, cui & si multa desint ad felicem vitam, hoc non exiguum solitudinis munus adest, quod sine concursu hominum & sine taedio, sine ullis angoribus, totus illi annus late ac tranquille quasi unus dies agitur. Cum isti interim delicati urbani, inter vina & epulas, inter rosa & unguenta, inter cantus & spectacula, Baccho madidi, somno marcidi, rerum fessi, undique taedio simul & voluptatibus defluentes, diem unum anno iudicent, esse longiorem, & vix paucas horas possit sine murmure fastidii que traducere.

Quod solitarius debeat regere animum, sicut boni reges regna. CAP. VI.

HActenus haec quae pro tempore, cuius mihi ingens penuria est, partim visa vel audita commemini, partim ex visis auditisque conicio, & de altioribus quidem, ut peccator trepidè, de communibus

vt expertus audacius, quod mihi cōuersatio hæc, & libertatis studium notūsq̄ literarum ac solitudinis amor præstāt. quibus iam tandem finis esto, si vnum addidero, solere prouinciarum præfides rectorēsq̄ vrbiū, vbi primum fines suæ ditionis ingressi sunt, edicto denunciare, maleficis vt absistant, qui mos adolescente me per Italiam frequens erat, an sit adhuc nescio. nam & inde nunc absum, & vbiq̄ terrarum cuncta paulatim in deterius cedunt, omnes boni mores breuis qui sunt, mali autem immortales. Videbamus passim sub præsidibus nouis, manifestam ex vrribus circumscriptorum furum & lenonum fugam. quanquam si ad antiqua respicimus, aliquantò vetustior illa cōsuetudo est, quàm opportunè admodum vsus fertur clarissimus ille dux in exercitu Numantino, quem superiorum ducum scordia licentiāque militum corruptum, acerrimo correxit imperio, quando castris eos quos & lenones, & institorū magnam aciem, cæterāque id genus fomenta libidinum, cum duobus scortorū milibus, quæ luxuriari & fugere solitū exercitum sequebantur, eodem illo die, quo primum castra contigerant vna præconis denūciatione submouit. quæ res multū præclaræ

illi, & quasi iam desperatae victoriae, contulisse creditur, secuti sunt alij clari duces, sed clarissimū nominasse suffecerit. Nobis vt ad rem veniam, qui non vrbes non regna, non exercitus, sed nostri pectoris statum regendum corrigendūq; suscepimus, parua quaedam videatur obuuisse prouincia, verum vbi ad comprimendos motus rebellātes animi, rationis imperiū accesserint, tū primū intelligitur, quā graue bellum difficilisque prouincia est. seipsum regere. quid igitur hic agendum? Nempe si me roges quod praesides ducēsq; solitos dixi, maius illis fortē negotium, numero quidem fatear, illis enim magnorum populorum aut exercituum, nobis vnus animae cura commissa est, periculo autem negem, quid est periculosius quā perire, quamuis solus pereas, cum quibusdam potius mali solatium videri soleat, periisse cum multis. itaque nobis quoque pellenda flagitia, nostris ē finibus fugandę libidines, cōprimenda licentia, castiganda mollities, erigēdus ad meliora animus, & quod elegāter ait Flaccus:

Scelerum si benē pænitet

Eradenda cupidinis

Praui sunt elementa, & tenera nimis

Mentes a superioribus

Formandæ studijs.

Alij regant urbem populi, alij militum exercitum, & nobis urbs animi vestri est, nostratum exercitus curarum, bellis civilibus. & externis quatimur. An putamus ullam inquietiorem esse Rēpub. quā humani status animi est? an credimus leuiores nobis hic hostes esse quā apud Numātiā Scipioni? ille vnam urbē, & vnū populū oppugnabat, nos aduersus mundū, carnē ac dæmonia certamus. quales hi tibi videntur hostes, quā cōcordes, quā solliciti, quā feroces? venit ille dux vt dictū est, ad exercitum corruptū victis fugatisque ducibus successit quid nos, numquid nō satis in languidum corruptūque urbem venimus, & exemplis ignauitæ referunt, non alienæ tantū sed & nostræ? quot cadentes audiimus? quod prostratos vidimus? quotiens ipsi cecidimus? quo l cadēdi periculis subiacemus? omnia circumplena terroribus, nostri molles & eneruati affectus, hostes multi & indomiti, ingens patrūque discrimen, nullus somno locus aut inertia, si salutem, si victoriam optamus, vtamur exēplo victoriosi ducis, quando & nos rerum nostrarum duces sumus, & periculi paritas parē exigit cautionem, quid loquor, immō

quidem & periculum nobis maius & præmi-
 um, illi enim aliena tantum vitia, no-
 bis propositum est & nostra corrigere, ille
 mortalis aliquandóque perituræ patriæ
 statum, sibi verò temporalē gloriam pro-
 curabat, nos immortalis animæ salutē &
 æternā vitam, quamobrem si maiora mi-
 noribus, & si alienis nostrā præponimus,
 summa diligētia quæcunq; officiūt, huic
 proposito propellamus, & quomodo in-
 quies hoc fiet? tūne vitia in exilium pel-
 les, quod nec leges vnquam potuēre nec
 reges? tūne nouis artibus res inenodabi-
 les, vt absoluas, desperatus ad hoc tempus
 iter aggrediēre, luxum diuitibus, furta
 seruis, lamenta pauperibus, inuidiam ple-
 bi, nobilitati superbiam, fraudem curiæ,
 voluptatem foro, discordiam multitudi-
 ni, avaritiam ferè omnibus extorquēre?
 vellem posse sed non spero, & facilius fa-
 teor omne sulphur ex Æthnæ visceribus,
 omne cœnum è cunctis paludibus egeri
 posse, quàm mala hæc, hos scelerum ardo-
 res, has morum sordes ex vrbium sentina,
 vbi talium pessima merciū sedes est, inter
 quas infœliciter fœlix, licet ingētium coa-
 lesceat, & vnde fœlicius sit, abesse: quid er-
 go? Ad meū illud familiare consilium re-
 curro, vt pestes quas fugare nō possumus,
 fugia-

fugiamus. In quam rem, vnicum solitarie vitæ portum ac profugium scio, de quo tam multa disserui, vt iam verear, ne fastidio tibi sim, né vè ipsis vrbibus solitudo tibi loquator videatur.



FRANCISCI PETRAR-
CHÆ V. C. DE VITA

SOLITARIA.

LIBER II.

AD VIRVM SVMMÆ REVE-
RENTIÆ DIGNVM PHILIPPVM
Patham, eo tempore Cauallicensem Episco-
pum, mox Patriarcham Hierosolymitanum,
deinde S. R. E. TIT. S. Sabinæ Cardinalem
atque Legatum, literis ornatum ac literato-
rum patronum.

SECTIO I.

Qui patres solitudinem illustrarint. CAP. I.



SECTIO tamen adhuc aliquid
deesse, & video nunc etiã quid
expectes, rem suapte naturæ
validam, exemplis armari, lō-
ga est historia, qui Philoso-
phi aut Poëtæ, quo sese altius attollerent,

h. iij.